



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Tractatus De Creatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

bet aliquo modo veritatem : quia cum dicitur aliqua persona mitti, designatur, & ipsa persona ab alio existens, & effectus visibilis, aut inuisibilis, secundum quem missio divina persone attenditur. Si igitur mittens designetur vt principium persone, que mittitur, sic non quelibet persona mittit, sed solum illa, cui conuenit esse principium illius persone. Et sic filius mittitur tantum a patre, d. Spiritus S. autem a patre & filio. Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sicut a Trinitate mittit personam missam. Non d. autem propter hoc, homo dat Spiritum S. quia nec effectum gratie potest causare. Et per hoc patet solutio ad obiecta.

D. 901.

D. 430.

Forma Textus.

RELATIS duabus oppositis opinionibus, pro vtraque respondet duabus conclusionibus.

PRIMA CONCLUSIO est pro priori sententia. Si mittens designetur vt principium persone, que mittitur, sic non quelibet persona mittit, sed solum illa, cui conuenit esse principium illius persone.

sic filius mittitur tantum a patre, Spiritus sanctus autem a patre & filio.

SECUNDA CONCL. pro sententia D. Augustini est. Si persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sicut a Trinitate mittit personam missam. Probatur vtraque simul. Cum dicitur aliqua persona mitti, designatur & ipsa persona ab alio existens, & effectus visibilis aut inuisibilis, secundum quem missio diuine persone attenditur; ergo si mittens, &c.

Expositio Textus.

PRO HUIUS a. intelligentia legenda sunt ea, que supra diximus in contr. ad 1. a. huius q. quibus consonant ea que notat Iauel super hoc a.

Difficultatem talem in tertio argumento tractat S. D. in 1. dist. 14. a. vnic.

ET HÆC sufficiant pro Commentarijs huius tractatus, ad laudem & gloriam SS. Trinitatis, & Catholice fidei exaltationem, & doctrinæ D. Th. Aq. D. A. & diuine voluntatis interpretis amplitudinem.

TRACTATUS DE CREATIONE.

QUESTIO XLIV.

De processione creaturarum a Deo, & de omnium entium prima causa, in quatuor articulos diuisa.



OST considerationem diuinarum personarum, considerandum restat de processione creaturarum a Deo. Erit autem hæc consideratio tripartita, vt primo consideretur de productione creaturarum. Secundo, de earum distinctione. Tertio, de conseruatione, & gubernatione. Circa primum tria sunt consideranda. Primo quidem, que sit prima causa entium. Secundo, de modo procedendi creaturarum a prima causa. Tertio vero de principio durationis rerum.

- Circa primum queruntur quatuor. Primo, Vtrum Deus sit causa efficiens omnium entium. Secundo, Vtrum materia prima sit creata a Deo, vel sit principium ex aquo coordinatum ei. Tertio, Vtrum Deus sit causa exemplaris rerum, vel sit alia exemplaria prater ipsum. Quarto, Vtrum ipse sit causa finalis rerum.

Ordo questionis, & articulorum.

QUONIAM vt ait S. D. infra q. 45. a. 6. diuine persone secundum rationem suam processionis habent causalitatem respectu creationis rerum: ideo considerata processione diuinarum personarum, & omnibus ad earum rationem ac notitiam pertinentibus, agit de processione creaturarum a Deo. Bannes aliam reddit rationem ex differentia Theologiæ ac Metaphysicæ, de qua diximus supra in introductione secunde questionis.

Distinguit autem tractatum hunc de rerum creatione in tria præcipua capita, quorum ordo quamquam satis euidens, explicabitur in singulorum exordio. Huius vero questionis articulorum series est. Nam primo conuenit Deo

ratio causæ efficientis, ex hoc quod est ipsum, esse per essentiã, per se subsistens & maxime ens. Deinde vt effectus quilibet a Deo productus determinatam formam consequatur, necesse est in diuina mente præexistere rationes omnium rerum, quas ideas & formas dicimus exemplares. Denique, quoniam omne agens agit propter finem; postremo queritur, num Deus sit causa finalis omnium. Cõstat autem naturalem agentis perfectionem & virtutem in eo præcedere rationem idealem, & quod vtrumque præcedit rationem finis secundum esse: quamuis omniũ prima sit finis causalitas in intentione; sed quia Deo absolute & simpliciter conuenit ratio efficientis & exemplaris, ratio vero finis, id est, ad finem ordinari, non conuenit Deo absolute considerato, sed solum quantum ad eius actionem: non vt res est, sed vt actio formaliter est: ideo postremo loco de finali causa differitur. His adde notioem nobis esse rationem efficientis causæ, quam finalis: Hanc enim ex efficiendi notificamus. Agit itaque S. D. primo de Deo, prout est rerum omnium causa in primo articulo: deinceps in 2. querit, vtrum materia prima sit a Deo creata, ob singularem de eius esse & productione difficultatem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit necessarium, omne ens esse creatum a Deo.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod non sit necessarium omne ens esse creatum a Deo. Nihil enim prohibet inueniri rem sine eo, quod non est a de ratione rei: sicut hominem sine albedine. Sed habetudo causati ad causam non videtur esse de ratione entium, quia sine hac possunt aliqua entia intelligi: ergo sine hac possunt esse. Ergo nihil prohibet esse aliqua entia non creata a Deo.

2. Prætereã. Ad hoc aliquid indiget causa efficiente, vt sit. Ergo quod non potest non esse, non indiget causa effi.

234
2. dist. 1 q. 1.
2. 2. 3. 2.
dist. 17. q. 1.
2. 2. 2.
2. 2. 2.
2. 2. 2.
2. 2. 2.
2. 2. 2.
2. 2. 2.
2. 2. 2.



sa efficiente. Sed nullum necessarium potest non esse: quia quod necesse est esse, non potest non esse. Cum igitur multa sint necessaria in rebus, videtur quod non omnia entia sint à Deo.

3 Præterea. Quorumcumque est aliqua causa, in his potest fieri demonstratio per causam illam. Sed in mathematicis non fit demonstratio per causam agentem, ut per Philosophum patet in tertio Metaph. Non igitur omnia entia sunt à Deo, sicut à causa agente.

113. Metaph. 10. 3.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 11. cap. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Respondeo. Dicendum, quod necesse est dicere, omne quod quocumque modo est, à Deo esse. Si enim aliquid inuenitur in aliquo per participationem, necesse est, quod causetur in ipso ab eo, cui essentialiter conuenit: sicut ferrum fit ignitum ab igne. Ostensum est autem supra, cum de diuina simplicitate ageretur, quod Deus est ipsum esse per se subsistens. Et iterum ostensum est, quod esse subsistens, non potest esse nisi vnum, sicut si albedo esset subsistens, non posset esse nisi vna, cum albedines multiplicentur secundum recipientia. Relinquitur ergo, quod omnia alia à Deo non sint suum esse, sed participant esse. Necesse est igitur, quod omnia qua diuersificantur secundum diuersam participationem essendi, ut sint perfectius, vel minus perfecte, causari ab vno primo ente, quod perfectissime est. Vnde & Plato dixit, quod necesse est ante omnem multitudinem ponere vnitatem. Et Aristot. dicit in 2. Metaphysicorum, quod id, quod est maxime ens, & maxime verum, est causa omnis entis, & omnis veri: sicut id, quod maxime calidum est, est causa omnis caliditatis.

113. 4. 4.

119. 11. 4. 3. 4.

31

313

113. Metaph. 10. 3.

Ad Primum ergo dicendum, quod licet habitudo ad causam non intret definitionem entis, quod est causatum: tamen sequitur ad ea, qua sunt de eius ratione: quia ex hoc, quod aliquid per participationem est ens, sequitur, quod sit causatum ab alio. Vnde huiusmodi ens, non potest esse, quin sit causatum, sicut nec homo quin sit risibile. Sed quia esse causatum non est de ratione entis simpliciter, propter hoc, inuenitur aliquod ens non causatum.

Ad Secundum dicendum, quod ex hac ratione, quidam moti fuerunt ad ponendum, quod id, quod est necessarium, non habeat causam, ut dicitur in 8. Physic. Sed hoc manifeste falsum apparet in scientiis demonstratiuis, in quibus principia necessaria sunt causa conclusionum necessariatum. Et ideo dicit Aristot. in 5. Metaph. quod sunt quedam necessaria, quae habent causam suam necessitatis. Non ergo propter hoc solum requiritur causa agens, quia effectus non potest esse, sed quia effectus non esset, si causa non esset. Hec enim conditionalis est vera, siue antecedens, & consequens sint possibilis, siue impossibilis.

113. Metaph. 10. 3.

113. 6. 10. 3.

27 d

Ad Tertium dicendum, quod mathematica accipiuntur ut abstracta secundum rationem, cum etiam non sint abstracta secundum esse. Vnicuique autem competit habere causam agentem secundum quod habet esse. Licet igitur ea, qua sunt mathematica, habeant causam agentem: non tamen secundum habitudinem quam habent ad causam agentem, cadunt sub consideratione mathematici. Et ideo in scientiis mathematicis non demonstratur aliquid per causam agentem.

Sensus quaesiti.

TRES SVNT in titulo termini declarandi. Primum est dictio illa, omne ens, qua Caiet. existimat non significari rem omnem illam à Deo, sed omnem rem, qua proprie dicitur ens, cuius proprie est subsistere & esse: siue illud sit compositum ex materia & forma, siue sit sola forma per se subsistens, ut Angelus. Ratio eius

Caiet. inter. oratio re. igitur.

A est: quia si priori modo sumeretur, omne ens, superuacaneus esset articulus sequens, in quod materia quaeritur, quae vnum est ex entibus.

Quam interpretationem sequitur Ripa. Sed quia conclusio loquitur manifeste de omni quod quocumque modo est: & ratio qua probatur conclusio, procedit euidenter de omni re à Deo diuersa: siue illi conueniat esse per se, siue in alio tanquam pars, aut accidens, aut alio quocumque modo: & in tertio argumento & eius responsione tractatur de Mathematicis, quorum non est esse, nec fieri per se, sed in alio: propterea cetero, quantum esse vniuersaliter & absolutissime intelligendum de omni re à Deo distincta. Nec tamen redundat sequens articulus. Nam singularem habet materia prima difficultate: Tum propter varias antiquorum sententias: Tum propter eius mere potentialem naturam, omni esse & actualitate carentem, quae singularem affert difficultatem. Nam etiam per singula veterum errata non sint articuli multiplicandi, ut bene probat Ripa: distinguendi sunt tamen articuli, iuxta peculiare ac praecipuas rationes dubitandi, ex rerum naturis praesertim emergentes. Quod valde frequens ac familiare est A. nostro D. ut vel mediocriter in eius doctrina versatis elucet.

B

C

Secundus terminus est, creatum, qui non proprie sumitur, ut idem significat quod ex nihilo productum, sed ut idem est quod effectiue productum, ut hic aduertit & probat Caiet. quem sequitur Mol. & consentit Vasq. licet in principio sit aduersus.

Tertius terminus est, necessarium, quo significatur necessitas, non ex parte Dei, qui liberè producit ad extra, sed ex parte entis creati, quod esse non potest, nisi ut à Deo dependens.

Forma Textus.

CONCL. est: Necesse est dicere omne, quod quocumque modo est à Deo esse. Probatur. Necesse est omne, quod inuenitur in aliquo per participationem, causari ab eo cui essentialiter conuenit. Sed esse inuenitur in omnibus alijs à Deo per participationem, & in Deo per essentialitatem; ergo necesse est dicere, &c. Maior declaratur exemplo ferri, quod sit ignitum ab igne. Minor quo ad Deum probatur ex dictis supra 113. 4. 4. ubi probatum est Deum esse ipsum esse subsistens. Quo ad alia verò à Deo; quoniam omnia alia à Deo non sunt suum esse, ergo diuersimodè participant esse à Deo. Antec. probatur; quoniam esse subsistens non potest esse nisi vnum; ergo alia à Deo non sunt suum esse. Assumptum patet ex 113. 4. 1. ad 3. & 11. 4. 3. & 4. Et manifestatur exemplo albedinis. Denique probatur idem assumptum ex dicto Platonis afferentis ante omnem multitudinem oportere ponere vnitatem; quo etiam probatur conclusio addito clariori dicto Philosophi ex 2. Metaph. Id quod est maxime ens &c.

E

Expositio Textus.

REFERVNT hic recentiores, scilicet Bann. & post eum latius Mol. Val. & Vasq. plurimas de primò rerum efficiente principio veterum haereticorum ineptas & sordidas fabulas, Simonis Magi, Saturnelli siue Saturnini, Basilidis, Carpocratis, Cerinti, Nicolai, Gnosticonum, Apellis, Cerdonis, Manichaei, & Albigensium. Ad quorum conuentionem producunt diuinarum litterarum oracula, Sacrorum Conciliorum definitiones, & Patrum, Ecclesiae Doctorum sententias, quae lege si placet. Vide etiam

iam

etiam apud Valent. opinionem Durandi cum suis fundamentis ab eo confutatam.

Adverte praeerea Cai. hic exponere verba illa exclusionis, Omne quod quocunque modo est, ut per ea significetur omnis modus entis constitutus cuiuscunque generis, non autem modus communis siue transcendens, quo ens distinguitur in actum & potentiam: ita ut sit sensus. Omne quod est quale vel quantum, &c. non autem: Omne quod est actu vel potentia. Cuius expositionis rationem affert ab ipso in expositione quaestio positam; quia scilicet materia prima sequenti referatur articulo: & de actu essendi verificari non potest id, quod in minori vel eius probatione sumitur de omni alio à Deo, videlicet quod non sit suum esse. Sed iam supra diximus materiam primam distinguam articulum postulare ob singularem sui difficultatem, licet sub communi ei, & ceteris entibus ratione, hoc primo comprehendatur articulo. De actu vero essendi negat Bannes esse suum esse; quia non subsistit, sed est quod essentia creata subsistit, & est actus à Deo participatus, & in essentia creata veluti in potentia receptus. Sed melius dici potest minorem propositionem, & eius probationem loqui de rebus, quibus aliquo modo convenit esse, siue per se subsistant, siue non, sed insint alteri, ut pars essentialis vel integralis, vel etiam ut accidens: quibus omnibus ait S. D. esse convenire per participationem: ac proinde ipsum esse, nihil aliud esse, quam participatione ipsius esse per essentiam ad vniuersa creata diffusam. Et ideo vis probationis non exigit, ut Cai. existimat, quod esse creatum non sit suum esse; satis est enim, ut esse creatum sit participatio ipsius esse per essentiam, qua participatione alia dicuntur esse, ut actualitate realiter ab eis distincta.

Tertio nota vim & artem huius discursus cum Cai. ibi. Circa vim rationis &c.

Postremo diligenter observa, ex hac Angelici nostri Doctoris demonstratione probari tota entis finiti latitudinem, secundum omnes eius modos, tam vniuersales quam particulares, específicos & individuales, ab ipso primo ente per essentiam Deo effectiue ac Phisice deriuari: ac proinde singulos creatæ voluntatis actus bonos, & omnem eorum determinationem ad exercitium, & speciem, & indiuiduum obiectum, cum omni libertatis modo, ab eodem ente per essentiam, ut prima causa producente, ac entitatis omnem communem, & specialem, ac indiuidualem participationem, ac essendi modum efficacissime largiente procedere; alioquin non omne, quod entis naturam ac modum participat, ab ipso esse per essentiam ut totius entitatis fonte dimanaret: sed aliud primum oporteret assignare principium, quod lumen respuit naturale, & vniuersa reiiciunt Philosophorum Academiae, & Ecclesia Catholica semper exhorruit.

CONTROVERSA VNICA.

An ratio Diui Tho. pro conclusione sit efficax?

Sententia Doctorum.

VALENTIA relato discursu D. Thom. ait rationem eius videri non satis euincere, quod vellet dictus expositor, nimirum res omnes esse à Deo, non quomodocunque, sed etiam tanquam à causa efficiente immediata: sed probare solum res omnes esse à Deo tanquam

à causa efficiente mediana, vel immediata. Deinde affert ipse rationem ad probandum res omnes esse à Deo, ut ab efficiente immediato: in qua maiorem hanc assumit formaliter falsam. Effectus aliquis hoc ipso producit à Deo immediate, quod, cum ipse alioqui sit factibilis, & aliquando actu existat, Deus immediate cognoscit & vult voluntate consequente ut talis effectus actu existat. Nec eius probatio aliquid valet, ut ostendi facile posset. Sed inanem ac prorsus inutilem de huiuscemodi re disputationem existimamus. Si namque sol esset animatus, & immediate cognosceret aurum producibile in visceribus terræ, & vellet ipsum producere voluntate consequente, non ob id produceret aurum immediate, sed mediate; sicut modo producit. Quod etiam euidenter elucet in intelligentia motrice, quæ generabilia motu cæli causata cognoscit immediate, & vult voluntate consequente, & tamen ea mediate causat.

Valq. cap. 2. ait S. Th. inde colligere ipsum existere esse de essentia Dei, & Deum esse suum existere; quia est idem omnino essentia Dei, & eius esse: & q. 7. a. 1. deduxisse Deum esse infinitum per essentiam, eo quod non habet esse receptum in essentia, sed eius essentia est suum esse: contra verò arti. 2. probare omne ens præter Deum non esse infinitum secundum essentiam, quia non est suum esse, sed habet esse receptum. Ait autem ipse non ita facile probari posse existentiam distingui ab essentia, & in ea recipi, & oppositum non minus esse probabile. Affert autem ipse rationem, quam existimat efficacem ad probandam conclusionem D. Th. de qua ratione satis supra diximus q. 7. a. 1. in secunda contr. & confutat eam latè Suar. libr. 2. de attributis diuinis cap. 1.

SCIENDUM est primo ad hunc articulum minime pertinere modum causandi, productionem tantum omnium entium à Deo, quocunque modo fiat; proprias enim habent modi causandi difficultates, distinctis quaestionibus examinandas. Quamobrem tota quaestio sequens expenditur in explicando modo emanationis rerum à primo principio per creationem: & autem verè ostenditur medium, quo probatur hic Deo conuenire uinceret immediate causandi, non requireret esse per essentiam. Et nihilominus hoc eodem medio, quo probatur hic S. D. omne ens effectiue à Deo produci, utitur etiam infra q. 104. a. 1. ad probandum creaturas omnes à Deo conseruari: & q. 105. a. 5. ex hoc, quod Deus est causa ipsius esse vniuersalis in rebus, quod inter omnia est magis intimè rebus, probat Deum esse intimè ut operantem in omnibus rebus; & supra q. 8. a. 1. ex hoc, quod Deus est ipsum esse per suam essentiam, & esse creatum est proprius eius effectus, probat Deum ad esse rebus omnibus intimè, & ut agens immediatum illis coniungi, non solum immediate virtutis, sed etià immediate suppositi, ut ibidem ostēdimus cumulatè cum Cai. & Ferrar. Igitur ex medio præsentis articuli deducitur efficaciter, non solum intenta conclusio de productione totius entis à Deo, sed modus etiam immediate producendi concluditur.

Secundo obseruandum est D. Th. sup. q. 3. a. 4. non probare existentiam esse de essentia Dei, & Deum ipsum esse suum existere, quia est idem om-

Resolutio. Contra Valentiam declaratione in articulo D. Th. & efficacitas argumenti. Contra Valentiam verè ostenditur medium, quo probatur hic Deo conuenire esse per essentiam.

nino essentia Dei & esse, ut illi falsò Vasq. im- A
ponit: sed colligit ibidem S. D. essentiam Dei
esse suum existerè, quia non estens per partici-
pationem, sed est ipsum esse per essentiam. Nec
in q. 17. ar. 1. probatur immediatè Deum esse in-
finitum per essentiam, eo quòd non habeat esse
receptum in essentia, sed eius essentia sit suum
esse, ut ait Vasquez: sed ex hoc primo & imme-
diato principio, quia Deus est ipsum esse subsi-
stens, deducitur esse diuinum non esse receptum
in aliquo, & consequenter esse infinitum simpli-
citer. Et hoc eodem medio probatur minor in
hoc art. quia scilicet Deus est ipsum esse subsi-
stens, quod non pòt esse nisi vnum: sicut albe-
do, si esset subsistens, non posset esse nisi vna.
Constat autem hæc duo valde differre, Deus est
ipsum esse subsistens, & Deus est suum esse: Nā
in secūdo exprimitur sola realis identitas essen-
tiæ & esse, in primò verò significatur quidditas,
& pelagus infinitum diuinæ substantiæ, quod
scilicet Deus est ipsa essendi & existēdi natura
incircumscrip̄tè subsistens, ac pro hoc eminen-
ter continēs omnes, non solum existentes, sed
etiam quomodocunq̄e possibiles essendi mos-
dos, ut ait S. D. sup. q. 4. a. 2. & q. 13. a. 1. ex Dio-
nylio & Damasceno.

*Distingui-
tur & expli-
catur. quid
sit esse tale
per essentia,
& esse tale
per partici-
patione: &
ostenditur,
quo sensu
dicatur De-
us per esse
tiam.*

*Tertio ut eluceat sensus maioris illius proposi-
tionis assumptæ ad probationem concl. videli-
cet, Necessè est omne q̄ inuenitur in aliquo per par-
ticipationem, ab eo causari, cui essentialiter conue-
nit, distinguenda & explicanda est ratio vtri-
usque generis entis in dicta propositione signifi-
cati. Alterum est, cui aliquid essentialiter, siue
per essentiam cōuenit, quod dicitur tale per esse-
ntiam. Alterum est, cui aliquid participatiuè
conuenit, quod tale nuncupatur per partici-
pationem.*

Dicitur autem esse quiddam tale per essen-
tiā dupliciter. Vno modo, ut dictio illa, *per esse-
ntiā*, determinet subiectū, & sic esse tale per essen-
tiā idē est, quod esse tale non per aliquid extra-
neum ab essentia ipsius subiecti, quod dicitur
tale, sed esse de eius essentia: quo sensu homo est
animal per essentiam, quia animal est de essen-
tia hominis; non est aut quantus, aut coloratus
per essentiam, quia quantitas & color extrinse-
ca sunt ab eius essentia. Et ita accepta dictio, *per
essentiam*, vim habet duarum dictionum; & hu-
ic modo essendi tale per essentiam opponitur
esse tale per participationem, id est per aliquid
naturæ superadditū, & ex eo derivatum, cui es-
sentialiter, id est intrinsicè conuenit: sicut
ferrum dicitur ignitum ab igne. Alio mo-
do dicitur aliquid esse tale per essentiam, prout
dictio, *per essentiam*, determinat prædicatum,
& habet vim vnius dictionis, & significat esse
totaliter essentiam eius, quod de ipso dicit, &
postulat tres, immo quatuor illas condiciones,
quas hic annotat Caietan. & post eum Bannes

*Ut aliquid
sit tale per
essentiam
quatuor re-
quirit con-
ditiones.*

*Prima est, ut sit ipsa natura, quæ de illo prædi-
catur, puta bonitas, vel albedo: secunda, ut essen-
tia siue natura non sit aliquo modo limitata siue
contracta: tertia, ut sit naturaliter in seipsa sub-
sistens: cuius defectu homo nō est animal ratio-
nale per essentiam, quia non inuenitur animal
rationale sic illimitatè subsistēs: vltima, ut actus
receptibilis secundum suū ordinem, ut sapien-
tia, bonitas, & similia, quæ in Deo naturaliter
subsistunt; quamuis existimem vltimam hanc in
prima contineri, & è contra; omnis enim natura
actus est siue forma receptibilis saltem in suppo-
sito, cuius est natura, & forma totius; & omnis
actus, natura quædam est, prout natura distin-*

guitur contra habens naturā, siue contra suppo-
situm. Et hoc modo ponebat Plato hominem
per essentia, & leonem, ac singulas rerum essen-
tias & species subsistentes; quamuis considerato
modo prædicationis dicat Ferrar. in 1. con. gen.
cap. 22. & post eū Bannes, hominem esse animal
rationale per essentiam. Huic quod sic (ut de-
scripsimus) tale est per essentiam, opponitur id,
quod sic tale est per participationem, ut nō sit
ipsa natura, siue essentia absq; limitatione sub-
sistens, sed illā habeat limitatè, & quasi partia-
liter. Et hoc modo Petrus & Ioannes naturā ha-
bentes principijs indiuiduantibus limitatam,
dicuntur secundum Platonem participare spe-
ciem, ut explicat latè S. D. in 1. Metaph. lect. 10.

Sed præterea iuxta priorē modū dupliciter
aliquid dicitur esse tale per essentia. Vno modo
formaliter, quod .i. per suam essentia, ut quā-
dam formā actū, & quidditatiuè denominantē
est tale: sicut Socrates homo est per suam essen-
tiam formaliter, quam includit actū, & ex qua
formaliter & quidditatiuè dicitur homo. Alio
modo causaliter, quod scilicet non est, aut dicitur
tale per suam essentiam, ut formam denomi-
nantem, sed tantum ut radicem, & causam a-
licuius alterius formæ denominantis, sicut Sor-
tes dicitur sensitiuus, & risibilis per essentiam,
quoniam hæc ex essentia pullulant.

Posterior verò modus essendi tale per essen-
tiam similem distinctionem non admittit. Nā
quod sic tale est per essentiam, nihil habet ex-
traneum sibi connexum, sed sola essentia est.
Quare non satis congrua est distinctio illa Ban-
nesij dicentis aliquid dici per essentiam causaliter
tale dupliciter scilicet adæquatè, ut cum præ-
dicatur passio adæquata de subiecto, exempli
gratia risibile de homine: & sic dici tale causaliter
per essentia in secundo sensu; & inadæquatè,
cum scilicet passio est inadæquata subiecto;
exēpli gratia, dicitur homo sensibilis per essen-
tia causaliter, & sic dicitur per essentia causaliter
in primo sensu. Iam .n. diximus hominē nō esse
animal rationale per essentiam in secundo sensu
propriè loquēdo, ob defectū tertie conditionis,
sed ita quandoq; nominari propter prædicationis
modum, quia .f. homo specie significat, de
qua dicitur animal rationale quidditatiuè, &
absq; vlla limitatione ad talē vel talem essendi
modum siue gradum; & ideo licet risibilitas ex
rationalitate deriuetur, & per se primò & adæ-
quatè conueniat homini, non propterea dicitur
homo risibilis per essentiam causaliter,
sumendo per essentiam in secundo sensu.

*Bannesij de
Ani. iore
ijciunt.*

*Quarto considerandum est, prædictos duos mos-
dos essendi tale per essentiam sic adinuicem cō-
parari, ut secundus inferat primum, sed non è
contra, ut explicat Ferrar. in dicto 22. cap. Sed in
modis essēdi tale per participationem opposita
est comparatio, ut ibidem etiam aduertit Fer-
rar. Nam primus infert secundum, & non è
contra; potest enim aliquid esse per essentiam
primo modo, quod tamen est per Participatiō-
nem secundo modo; nam homo est animal per
participationem secundo modo, & tamen est
animal per essentiam primo modo; sed omne
quod est tale per participationem primo modo
est etiam tale secundo modo; nam quod per
aliquid additum essentia dicitur tale, non est
eius essentia totaliter & illimitatè, sed illam
habet ad modum aliquem definitum; quod .n.
album est per participationem, non est albedi-
nis essentia illimitatè, sed albedinem solam ha-
bet in tanto gradu. Cum itaque docet S. Tho.
Deum*

Deum esse ens per essentiam, principaliter intelligendus est in secundo sensu siue modo, secundariò verò & consequenter in primo, quem inferri diximus ex secundo. Cùm autem asserit creaturam esse ens per participationem, de participatione loquitur principaliter secundo modo, sed consequenter primo modo. Nam etsi primus participationis modus non inferatur ex secundo formaliter loquendo, in re tamè disposita inferitur æque & indifferenter alter modus ex altero. Nam quia creatura nõ est ipsa natura essendi incircumscriptè, sed habet esse in essentia receptum & limitatum, idcirco non est per suam essentiam, id est, quidditatiuè ens participialiter; & è contra, quia non est per suam essentiam, id est, quidditatiuè ens participialiter, sed per superadditam existentiam realiter ab essentia distinctam, idèò non est ens per essentiam secundo modo, sed limitatè. In hoc itaq; discursu S. D. affirmans Deum esse ipsu esse subsistens, principaliter intendit Deum esse ipsum esse per essentiam in secundo sensu, consequenter autem in primo. Quare non mihi factis probatur expositio Caiet. dicentis de mente D. Tho. & aliorum affirmantium solum Deum esse ens per essentiam nil aliud per hoc significari, quàm quòd esse sit ipsa quidditas Dei; hoc enim iam diximus secundariò tantum intendi.

Cai. expositio reijciatur.

Conciliatur Scot. cum D. Th.

Ex quo patet Scotum in hoc à D. Thom. nõ dissentire, cùm ait Deum dici ens per essentiam, quia eius esse est perfectissimum & infinitum; id enim est, ac si diceret, quia est ipsum esse subsistens illimitatum: quamvis hoc eius verba minus aptè significant. Videnda sunt, quæ latè de hac materia scripsimus supra q. 4. a. 2. & q. 6. a. 3. contr. 1.

Conclusiones, dudu hæc & probatæ.

PRIMA CONCL. Ratio D. Tho. probat efficaciter conclusionem.

SECUNDA CONCL. D. Thom. in concl. & eius probatione loquitur de omni modo entis, non solum cuiuscunque generis constitutiuo, sed etiam transcendenti ali, quo scilicet distinguitur ens per actum, & potentiam.

TERTIA CONCL. Quævis nec ad presentem articulum pertineat modus productionis, nec D. Tho. intendat probare à Deo omne ens immediatè produci, ratio tamen adducta pro conclusione est ad id probandum efficacissima.

QUARTA CONCLUSIO. Cùm asserit D. Thomas Deum esse ipsum esse subsistens, siue ipsum esse per essentiam, sumit principaliter dictionem illam per essentiam secundo modo scilicet ut determinat prædicatum, secundariò verò primo modo scilicet ut determinat subiectum.

Argum. Sol.

CONTRA primam concl. producit Vasq. argumentum supra solutum. Contra eadem sunt argumenta quæ virtualiter tangit & soluit Caiet. & post eum expressè proponit & soluit Ban.

CONTRA secundam concl. est argumentum Cai. superius tactum & solutum.

Obi. contr. 3. voyl.

CONTRA tertiam argumentatur Valentia. Non est necesse, ut omne quod est tale imperfectè, & per participationem, sit immediatè ab eo, quod per essentiam est perfectissimè tale; ergo solù probat ratio D. Th. res omnes esse à Deo, tanquam à causa mediata, vel immediata. Antecedens probatur. Nam ferrum, verbi gratia, sit ignitum & calidum, non immediatè ab igne, sed ab aliquo alio ignito ferro vel ligno. Respon. primò falsum esse antecedens, loquendo de eo, quod est tale per essentiam secundo mo-

Solut.

do. Ad probationem dico ignem non esse per essentiam secundo modo naturam ignis, sed rationem ignis illi convenire per essentiam primo modo. Secundò dico, si attendamus intentionem D. Tho. veram esse id, quod concludit argumentum, ut ante diximus; sed si consideremus vim rationis secundum se, dico ex ea concludi modum etiam immediatè causalitatis Dei, respectu totius entis. Nam ea propositio maior, *neesse est omne, quod inuenitur in aliquo per participationem, causari ab eo, cui essentialiter convenit*, accipienda est sub disiunctione modificata, scilicet mediatè vel immediatè, iuxta naturam & modum causalitatis eius quod est tale per essentiam. Iam autem diximus, ex ipso esse per essentiam, omne ens immediatè dependere. Unde ad argumentum negatur consequentia; quævis enim non sit necesse, ut omne, quod est tale per participationem, sit immediatè ab eo, quod est tale per essentiam; necesse tñ est, ut omne, quod est tale per participationem, sit vel mediatè vel immediatè ab eo, quod est tale per essentiam. iuxta modum & naturam illius, ut dictum est. Vide si placet apud Bannes. que est. de ver. concl. D. Th.

Proponitur primum argumentum S. D. in forma, & eius responsio, quæ defenditur à calumnia Valentia.

PRIMUM ARGUMENTUM D. Tho. est. Nihil prohibet inueniri rem sine eo, quod non est de ratione rei. Sed habitudo causati ad causam non est de ratione entium; ergo nihil prohibet esse aliqua entia non creata à Deo. Minor probatur; quia sine tali habitudine possunt aliqua entia intelligi. Responder de ente posse nos loqui dupliciter. Vno modo de ente simpliciter, & sic vera est maior & minor & eius probatio bona; quia Deus & entia ut entia sunt, possunt intelligi sine habitudine ad causam: & inuenitur aliquod ens non causatum. Alio modo de tali ente, scilicet per participationem, & sic falsa est maior; quia ex hoc, quod aliquid per participationem est ens, sequitur quòd sit causatum ab alio; & idèò huiusmodi ens non potest esse, quin sit causatum: sicut nec homo, quin sit risibilis: licet habitudo ad causam non intret definitionem entis, quòd est causatum.

Val Obiect.

Hanc responsionem sic impugnat Val. Hæc responsio non efficit, quòd per vllam potentiam res aliqua nequeat esse sine huiusmodi habitudine ad causam, sed tñ quòd esse non possit sine tali habitudine per potentiam ordinariam: ergo non satisfat argumento. Probatur antecedens; quia non videtur absolutè impossibile, ut homo sit absque illa propria passione, quæ est risibilitas, ut risibilitas est accidens extra essentiam hominis. Probat autem ipse duobus argumentis non posse per Dei potentiam absolutam fieri, ut sit aliqua res, quæ nec sit Deus, nec vllò modo à Deo facta tanquam à causa efficiente, quæ nobis non sunt necessaria, Habemus longè meliora in 2. contra gentes, cap. 15. Respondetur cum Ferrar. in 4. con. gent. c. 65 post medium dictam relationem non esse passionem creaturæ, ut apertè docet D. Thom. de pot. q. 3. a. 3. ad 3. sed esse de ratione eius, in quantum est ens à Deo dependens, quod ab ipsa nullo modo potest separari. Non enim potest à Deo fieri, ut creatura ab ipso non dependeat, sicut nec effici potest, ut creatura sine actione Dei conseruetur in esse. Et quemadmodum quæritas, qua Sortes indiuiduatur, accidens est, & tamè de eius ratione est, qua-

Solut. Ferr.

quatenus indiuiduum est ab alijs distinctū, vt A
superius ostendimus q. 3. art. 2. sic dicta rela-
tio accidens est in re creata, & tamen de eius
ratione est, vt est à Deo dependens, & quate-
nus est ens per participationem à Deo, quod
est ipsum esse per essentiam. Exemplum autem
de risibili secundum Ferr. ad hoc solum affer-
tur à D. Th. vt dictam relationem ostēdat esse
extra essentiam rei, sicut extra essentiam homi-
nis est risibile, sed haec expositio manifestè est cō-
tra textum, cuius verba sunt. Vnde huiusmodi ens
non potest esse, quin sit causatum: sicut nec homo,
quin sit risibile. Ex quibus perspicue constat fie-
ri comparationem, non quo ad esse extra essen-
tiam, sed quo ad inseparabilitatem. Dico itaque

Reijctur
sol. Ferrar.

Vera Solu.

exemplum tenere, quo ad inseparabilitatem,
non tamen quo ad modum & gradum insepa-
rabilitatis. Nam passio inseparabilis est solum
naturaliter, & per potentiam Dei ordinariam:
relatio verò dependentiæ inseparabilis est ab
ente creato per Dei potentiam absolutam.
Secundò dico dictam relationem fundari in
relatione transcendente ipsius entis per par-
ticipationem ad ens per essentiam. Nam, quod
se toto participans est, hoc ipso respicit essen-
tialiter seipso toto id, quod est tale per es-
sentiam, non minus quàm materia formam,
& anima corpus; quam relationem hic partim
supponit, & partim significat S. D. cum ait. Sed
quia esse causatum non est de ratione entis simplici-
ter, &c. his enim verbis indicat esse de ratio-
ne entis per participationem, vt sit ab alio cau-
satum, prout scilicet esse causatum significat di-
ctam relationem transcendentem, quæ funda-
mētum est relationis prædicamentalis. Ex quo
sequitur primò non posse esse, nec intelli-
gere, quod nec sit Deus, nec sit à Deo
productum. Secundò, non posse esse tale ens
absque relatione dependentiæ realiter ab ipso
distincta; quia posito fundamento & termi-
no, nec non sequitur relatio, sicut positus duo-
bus albis, necessariò resultat similitudo. Tertiò
dico duplicem esse consequentiã, vnã essentialē
& intrinsecam, aliã accidentalem, & extrinse-
cam. Quando S. D. ait, ex hoc, quod aliquid
per participationem est ens, sequi illud esse cau-
satum ab alio, loquitur de consequentiã essen-
tiali & intrinseca: sicut ab esse hominē sequitur
esse animal, quia de ratione entis per participa-
tionē est vt sit causatū prout esse causatū dicit
relationem transcendētem; & idem est, ac si di-
ceret, hoc ipso formaliter, quod aliquid est ens
per participationem, est ab alio causatum; sicut
etiam hoc ipso quod est homo, est etiã animal:
relatio verò prædicamentalis sicut & propria
passio sequitur ad subiectum per consequentiã
extrinsecam, quia extrinseca est ab eius ratio-
ne; & ideo exemplum de risibili non est om-
nino simile, sed modo tantum superius ex-
presso. Et hæc videtur melior solutio, & con-
cidit cum solutione Ferrar. Igitur ad argumen-
tum Valentia negatur antecedens. Ad eius pro-
bationem negatur consequentiã; quia non est
omnino ratio similis, vt ante diximus.

ad Argu-
mentū Pa-
rent.

Respons. ad secundum subtiliter explicat, & tu-
etur Caiet. & latius post eum Ban. De qua re
videndæ sunt nostratum disputationes in 5. Me-
taph. in cap. de necessario, & ea quæ diximus
supra quæst. 16. art. 5. controuer.

vnicā.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod ma-
teria prima non sit creata à Deo. Omne enim
quod sit, componitur ex subiecto, & ex aliquo alio, vt
dicitur in 1. Physic. sed materia prima non est ali-
quod subiectum. Ergo materia prima non potest esse
facta à Deo.

2. Præterea. Actio & passio diuiduntur contra se
inuicem. Sed sicut primum principium actuum est
Deus, ita primum principium passuum est materia.
Ergo Deus & materia prima sunt duo principia con-
tra se inuicem diuisa: quorum neutrum est ab alio.

3. Præterea. Omne agens agit sibi simile & sic, cum om-
ne agens agit in quantum est actu, sequitur, quod om-
ne factum aliquo modo sit in actu. Sed materia pri-
ma est tantum in potentia, in quantum huiusmodi.
Ergo contra rationem materia prima est, quod sit
facta.

Sed contra est, quod dicit Augu. 12. conf. Duo fe-
cisti domine, vnum prope te, scilicet angelum; aliud
prope nihil, scilicet materiam primam.

Respondeo. Dicendum, quod antiqui philosophi
paulatim, & quasi pederentim, intrauerunt in co-
gnitionem veritatis. A principio enim quasi grossiores
existentes, non existimabant esse enia nisi corpora
sensibilia. e Quorum, qui ponebant in eis motum,
non considerabant motum nisi secundum aliqua
accidentia, vt puta secundum raritatem, & densita-
tem, per congregationem, & segregationem. Et sup-
ponentes ipsam substantiam corporum increatam,
assignabant aliquas causas huiusmodi accidentia-
lium transmutationum, vt puta amissionem, litem,
intellectum, aut aliquid huiusmodi. Vterius verò pro-
cedentes, distinxerunt per intellectum inter for-
mam substantialem, & materiam, quam ponebant in-
creatam: & perceperunt transmutationem fieri in
corporibus, secundum formas essentielles. Quarum trans-
mutationum quasdam causas vniuersales ponebant
vt obliquum circulum Arist. vel ideam secundum Pla-
tonem. Sed considerandum est, quod materia per
formam contrahitur ad determinatam speciem, e

235

Supra q. 14.

a. 11. cor. Et

1. di. 36 q. 1.

a. 1. Et ver.

q. 3. a. 5. cor.

Et po. q. 3.

Et po. q. 4.

69 q. 129.

230 Et in

11. let. 7. Et

Phy 8 l. 2.

* Rex. 61.

como. 1.

Lib. 1. con-

set. 7. in fi-

ne tem. 1.

101

Li. 2. de ge-

ner. 106.

e. com. 2.

35

136

D sicut substantia alicuius speciei per accidens ei adue-
niens contrahitur ad determinatum modum essendi,
vt homo contrahitur per album. Vtrig. igitur conside-
rauerunt ens particulari quadam consideratione: vel
in quantum est hoc ens, vel in quantum est tale ens. &
sic rebus causas agentes particulares assignauerunt.
Et alterius, aliqui ex exercitū se ad considerandum ens
in quantum est ens: & considerauerunt causam rerum,
non solum secundum quod sunt hoc, vel talia, sed
secundum quod sunt entia. Hoc igitur, quod est causa
rerum, in quantum sunt entia oportet esse causam
rerum, non solum secundum quod sunt talia per for-
mas accidentales, nec secundum quod sunt hoc p for-
mas substantiales, sed etiam secundum omne illud
quod pertinet ad esse illorum quocunque modo. e Et
sic oportet ponere etiam materiam primam creatam
ab vniuersali causa entium.

Ad Primum ergo dicendum, quod Philosophus in 1.
Phys. loquitur de fieri particulari, quod est de forma
in forma, siue accidentalem, siue substantialem: nunc
autem loquimur de rebus secundum emanationem
earum ab vniuersali principio essendi. A qua quidem
emanatione, nec materia excluditur, licet à primo
modo factiois excludatur.

Ad Secundum dicendum quod passio est effectus
actionis. Vnde & rationale est, quod primum prin-
cipium passuum, sit effectus primi principij actuum. Nam
omne imperfectum causatur à perfecto. Oportet enim
primum principium esse perfectissimum, vt dicit Arist.
in 12. Metaphy.

Lib. 12. Me-

tap. text 25.

ncm como 3.

Ad Tertium dicendum, quod ratio illa non ostendit, quod materia non sit creata, sed, quod non sit creata sine forma. Licet enim omne certum sit in actu, non tamen est actus purus. Unde oportet, quod etiam illud, quod se habet ex parte potentie, sit creatum, si totum, quod ad esse ipsius pertinet, creatum est.

Sensus quesiti.

TITVLVM explicat Cai. dicens hic non sumi creatum, vt distinguitur contra con-creatum, sed vt opponitur increato, & idem significat quod incausatum effectiuè.

Forma Textus.

TRES referuntur antiquorum Philosophorum opiniones de causis rerum efficientibus, & exclusis duabus prioribus, vt deficientibus, ac veritatis apicem minimè contingentibus, tertiam approbat, & eius supposita veritate quesito respondet vnica conclusione.

Prima opinio fuit eorum, qui non existimabant esse entia nisi corpora sensibilia, quorum substantiam supponebant esse increatâ. Et qui ponebant in eis motû, non considerabant motum nisi secundum aliqua accidentia, vt puta secundum raritatem & densitatem, per congregatione & segregationem, quarum transmutationum causas assignabant, amicitiam, litem, intellectum aut aliquid huiusmodi.

Secunda opinio fuit eorum, qui discernentes inter formam substantialem & materiam, quâ ponebant increatam, cognouerunt in corporibus fieri transmutationem secundum formas essentiales, quarum transmutationum statuebant vniuersaliores quasdam causas, vt obliquè circum, id est Zodiacum secundum Aristotelem, vel ideas secundum Platonè. Has duas opiniones S. Doct. excludit vt deficientes; quoniam vtraque considerauit ens particulari quadâ consideratione, vel in quantum est hoc ens, vel in quantum est tale ens, & sic rebus causas agentes particulares assignauerunt, ergo deficienter locuti sunt. Antecedens probatur; quia materia per formam contrahitur ad determinatum speciem, sicut substantia alicuius speciei per accidens ei adueniens contrahitur ad determinatum modum essendi, vt homo contrahitur per album: at prima opinio percepit solâ transmutationem substantiæ corporeæ secundum accidentia, secunda verò transmutationem cognouit secundum formas substantiales in materia: ergo vtraque considerauit ens particulari quadam consideratione, &c.

Tertia opinio fuit eorû, qui mentis aciem erexerunt ad considerandû ens in quantum ens, & rerû causam attigerunt, non solum secundum quod sunt hæc, vel talia, sed secundum quod sunt entia. Hac igitur, vt vera & fidei Catholicæ cõformi præsupposita sententiâ, hæc vnica.

CONCLUSIÖNE quesito respondet. Oportet ponere etiam materiâ primam creatam ab vniuersali causa entiu. Probatur. Quod est causa rerum in quantum sunt entia, oportet esse causâ rerû, non solum secundum quod sunt talia per formas accidentales, nec secundum quod sunt hæc per formas substantiales, sed etiâ secundum omne illud quod pertinet ad esse illorû quocunq; modo: ergo oportet ponere etiam materiâ primam creatam ab vniuersali causa entiu. Antecedens patet ex differentia tertiæ opinionis à duabus prioribus, Consequentia verò relinquatur vt euidens.

Expositio Textus.

PRIS CORVM hæreticorum errorè, negantium fuisse materiâ primam à Deo creatam, lege si placet apud recentiores. Dicta singulorum, & nomina refert Vasq; præ omnibus diligentius, aduersus quam hæresim producunt Magister Porreçta, Val. & Vasq. diuinarum litterarum oracula, Sacrorum Conciliorum definitiones, & Sanctorum dicta.

Ex ratione qua probatur in textu conclusio deducit Valentia materiam primam non esse ita puram potentiam, vt nullo modo sit ens actu in latitudine entis; alioquin nulla esset consequentia D. Tho. sed dicitur (inquit) & est pura potètia respectu actus formalis in genere substãtiali, quia scilicet omni actu formali & specifico ex se caret, tantummodoque est pura potentia ad illum. *Sed illatio* Val. falsa est, & omni probabilitatis colore destituta: nec eius probatio aliquid valet. Nam vis rationis D. Tho. non innititur actualitati, quæ materiæ secundum se formaliter insit, sed in hoc posita est, quod materia aliquo modo, nimirum vt pura potentia in genere entis, pertinet ad esse perfectum entis materialis siue corporei: & ideo oportet eam causari ab vniuersali causa entium, quatenus entia sunt. Constat enim ex Arist. in 5. & 9. *Metaphy.* ens diuidi per potentiam & actum, atque ideo ens purè potentiale non esse extra latitudinem entis, quamuis non nisi per actum siue formam possit existere. Est ergo materia prima secundum rationem sui quidditatiuam pura potentia, & tñ pars actu est ipsius compositi ad eius essentiam siue quidditatem intrinsecè pertinens. Nec tamen ex se formaliter vllum habet actum, sed à forma tantum. Et licet actua per formam non habeat statum puræ potètiæ, quem nunquam habere potest, semper tamen est quidditatiuè pura potentia.

Caiet. totam huius artic. doctrinam optimis illustrat *Metaphysicæ* documentis, quæ Bannes & Mol. complectuntur, & approbant, nec ampliori videntur indigere declaratione, sed lectorem ingenij postulant perspicacis.

Ferrar. in 2. cont. gent. cap. 16. r. atione 4. declarat tribus modis intelligi posse fieri ens simpliciter.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum causa exemplaris sit aliquid præter Deum.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quod causa exemplaris sit aliquid præter Deum. Exemplarium enim habet similitudinem exemplaris: sed creatur a longe sunt à diuina similitudine. Non ergo Deus est causa exemplaris earum.

2 Præterea. Omne, quod est per participationem, reducitur ad aliquid per se existens, vt ignitum ad ignem, sicut iam dictum est. Sed quæcunque sunt in sensibilibus rebus, sunt solum per participationem alicuius speciei. Quod ex hoc patet, quod in nullo sensibilibus inuenitur solum id, quod ad rationem speciei pertinet, sed adiunguntur principiis speciei principia indiuiduantia. Oportet ergo ponere ipsas species per se existentes, e vt per se hominem, & per se equum, & huiusmodi. Et hæc dicuntur exemplaria. Sunt igitur exemplaria res quasdam extra Deum.

3 Præterea. Sciētia & diffinitiones sunt de ipsis speciebus,

Consuetudine.

236
pot. q. 7. ar.
1. ad 3. Et
2. co. 11. it
prim.

art. 1. hinc
quest.

336

ciebus, non secundum quod sunt in particularibus, A
quia particularium non est scientia, nec definitio.
Ergo sunt quedam entia, quae sunt entia, vel species
non in singularibus. & haec dicuntur exemplaria. Er-
go idem quod prius.

Ca. 5. non re- 4. Prater ea. Hoc idem videtur per Dionys. qui
vocat à pr. dicit * 5. capit. de diuin. nomin. Quod ipsum secun-
dum se esse, prius est eo, quod est per se vitam esse, &
eo quod est per se sapientiam esse.

Sed contra est, quod exemplar est idem quod idea.
Lib 83. qu. Sed idea (secundum quod Augustinus * lib. 83. q. di-
g. 46. ante cit) sunt formae principales, quae diuina intelligen-
tia continentur. Ergo exemplaria rerum non sunt
extra Deum.

Respondeo. Dicendum, quod Deus est prima causa
exemplaris omnium rerum. Ad cuius euidenciam con-
siderandum est, quod ad productionem alicuius rei
ideo necessarium est exemplar, vt effectus determi-
natam formam consequatur. Artifex enim produ-
cit determinatam formam in materia, propter
exemplar ad quod inspicit, siue illud sit exemplar ad
quod extra intuetur, siue sit exemplar interius mente
conceptum. Manifestum est autem, quod ea, quae na-
turaliter sunt, determinatas formas consequuntur.
Hac autem formarum determinatio, oportet,
quod reducat in primum principium, in diui-
nam sapientiam, quae ordinem vniuersi excogitauit,
qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dice-
re, quod in diuina sapientia sunt rationes omnium re-
rum, quas supra * diximus ideas, id est formas ex-
emplares in mente diuina existentes. Quae quidem,
licet multiplicentur secundum respectum ad res, ta-
men non sunt realiter alia à diuina essentia, prout eius
similitudo à diuersis participari potest diuersimodè.
sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium.
Possunt etiam in rebus creatis quedam aliorum exem-
plaria dici, secundum quod quedam sunt ad simili-
tudinem aliorum, vel secundum eandem speciem, vel
secundum analogiam alicuius imitationis.

Ad Primum ergo dicendum, quod licet creatura
non pertingant ad hoc, quod fini similes Deo secun-
dum suam naturam similitudine speciei, vt homo geni-
tus homini generanti: attingunt tamen ad eius simi-
litudinem secundum representationem rationis intel-
lectae à Deo, vt domus quae est in materia, domui quae
est in mente artificis.

Ad Secundum dicendum, quod de ratione homi-
nis est, quod sit in materia. Et sic non potest inueniri
homo sine materia. Licet igitur hic homo sit per par-
ticipationem speciei, non tamen potest reduci ad ali-
quid existens per se in eadem specie, sed ad speciem
superexcedentem, e sicut sunt substantia separata. Et
eadem ratio est de alijs sensibilibus.

Ad Tertium dicendum, quod licet qualibet scien-
tia, & definitio sit solū entium, non tamen oportet,
quod res eundem modum habeant in essendo, quem
intellectus habet in intelligendo. e Nos enim per virtu-
tem intellectus agentis abstrahimus species vniuersa-
les à particularibus conditionibus: non tamen oportet,
quod vniuersalia prater particularia subsistant, vt
particularium exemplaria.

Cap. 11. inter 11. Ad Quartum dicendum, quod sicut dicit Dion. * 11.
med. & fin. cap. de diuin. nom. Per se vitam, & per se sapientiam
quandoq, nominat ipsum Deum, quandoque virtutes
ipsis rebus datas: non autem quasdam subsistentes
res, sicut antiqui posuerunt.

Sensus quaesti.

Q V I D exemplaris causae nomine significetur,
hic explicat Cai. & post eum Val. Nos
supra q. 15. art. 1. rationem exemplaris, quod alio

Forma Textus.

PRIMA CONCL. Deus est primum exemplar om-
nium rerum. Probatur. Oportet dicere quod
in diuina sapientia sunt rationes omnium re-
rum, quis supra diximus ideas, id est formas ex-
emplares in mente diuina existentes, quae non
sunt realiter aliud à diuina essentia: igitur ipse
Deus est primum exemplar omnium. Antece-
dens quo ad priorem partem probatur. Ad pro-
ductionem alicuius rei ideo necessarium est ex-
emplar, vt effectus determinatam formam con-
sequatur, at ea quae naturaliter sunt, determina-
tas formas consequuntur ex diuina sapientia, vt
primo principio; ergo oportet dicere &c. Ma-
ior huius argumenti probatur exemplo artifi-
cis. Minor autem: quia diuina sapientia ordi-
nem vniuersi excogitauit, qui in rerum distin-
ctione consistit. Posterior verò pars antecedentis,
videlicet quod ideae, id est formas exemplares
non sint aliud realiter à diuina essentia, manife-
statur soluendo tacitam objectionem. Nam licet ideae
multiplicentur secundum respectum ad res, & es-
sentia sit vna, non tamen sequitur eas ab essentia
realiter distingui: sed tantum sequitur essentia
diuinae similitudinem à diuersis posse diuer-
simodè participari, & secundum hoc eam habe-
re rationem plurimum idearum.

SECUNDA CONCL. Possunt in rebus creatis
quaedam aliorum exemplaria dici. Probatur: quia
quaedam sunt ad similitudinem aliorum, vel
secundum eandem speciem, vel secundum ana-
logiam alicuius imitationis; ergo.

Expositio Textus.

PROBATIONEM antecedentis quo ad prio-
rem partem hic eleganter explicat Cai. ne-
cessitatem aperiens exemplaris, & radicem e-
iusdem probationis ostendens. Vide etiam quae
notat hic Valen. de ideis, ex Scripturis & Patri-
bus.

Reliqua ad huius articuli commentarium
spectantia, petenda sunt ex 4. 1. & 2. q. 15.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Deus sit causa finalis omnium.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quod Deus
non sit causa finalis omnium. Agere enim pro-
pter finem videtur esse alicuius indigentis sine. Sed
Deus nullo est indigens. Ergo non competit sibi agere
propter finem.

2. Prater ea. Finis generationis, & forma gene-
rati, & agens, non incidunt in idem numero (vt dicitur
in 2. Physic.) Quia finis generationis est forma
generari: Sed Deus est primum agens omnium. Non
ergo est causa finalis omnium.

3. Pr. et. Finem omnia appetunt: Sed Deum non
omnia appetunt; quia neque omnia ipsum cognoscunt.
Deus ergo non est omnium finis.

4. Prater ea. Finalis causa est prima causarum.
Si igitur Deus sit causa agens, & causa finalis, sequi-
tur quod in eo sit prius & posterius, quod est impossi-
bile.

Sed contra est, quod dicitur Prou. 6. Vniuersa pro-
pter semetipsum operatus est Dominus.

Respond. Dicendum, quod omne agens agit propter
finem. Alioquin ex actione agentis non magis seque-
retur hoc quam illud, nisi à casu. e Est autem idem fi-
nis

nis agentis & patientis in quantum huiusmodi, sed aliter & aliter. Vnum enim & idem est, quod agens intendit imprimere, & quod patiens intendit recipere. Sunt autem quadam, quae simul agunt, & patiuntur, quae sunt agentia imperfecta: & his conuenit, quod etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti, qui est agens tantum, non conuenit agere propter acquisitionem alicuius finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quae est eius bonitas. Et vnaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem, quae est similitudo perfectionis & bonitatis diuinae. e Sic ergo diuina bonitas est finis rerum omnium.

Ad Primum ergo dicendum, quod agere propter indigentiam, non est nisi agentis imperfecti: quod natum est agere & pati: sed hoc Deo non competit. Et ideo ipse solus est maximè liberalis: quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem.

Ad Secundum dicendum, quod forma generati non est finis generationis, nisi in quantum est similitudo formae generantis, e quod suam similitudinem communicare intendit. Alioquin, forma generati esset nobilior generante, cum finis sit nobilior his, quae sunt ad finem.

Ad Tertium dicendum, quod omnia appetunt Deum, e vt finem, appetendo quodcumque bonum, siue appetitu intelligibili, siue sensibili, siue naturali, qui est sine cognitione. Quia nihil habet rationem boni, & appetibile, nisi secundum quod participat Dei similitudinem.

Ad Quartum dicendum, quod cum Deus sit causa efficiens, exemplaris, & finalis omnium rerum, & materia prima sit ab ipso: sequitur, quod principium omnium rerum sit vnum secundum rem. Nihil tamè prohibet in eo considerari multa secundum rationem, quorum quadam prius cadunt in intellectu nostro, quam alia.

Sensus questii.

TERMINOS huius questii declarant Cai. & Vasq. sermo est enim de fine non operatione producto, quem finem gratia cuius appellat Vasq. sed de fine praexistente, cuius bonitatem agentia concupiscunt, & in cuius laudem, & gloriam cedunt vniuersa, quem idè expositor nominat finem cui. Dicitio autem omnium pro rebus omnibus alijs à Deo distribuit, vt hic aduertit Cai. cum hic tractatus circa Dei causalitatem ad extra verferetur.

Forma Textus.

CONCL. est. Diuina bonitas est finis omnium rerum. Probatur. Primum agens non agit propter acquisitionem alicuius finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quae est eius bonitas: & vnaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem, quae est similitudo perfectionis & bonitatis diuinae: ergo diuina bonitas est finis omnium rerum. Probatur simul antecedens & consequentia, quia omne agens agit propter finem: sed idem est finis agentis, & patientis in quantum huiusmodi, quamuis aliter & aliter, quia scilicet idem est, quod agens intendit imprimere, & quod patiens intendit recipere; ergo primum agens, &c. Antecedens probatur; Quia alioquin ex actione agentis, non magis sequeretur hoc, quam illud. Conseq. verò: quia primum agens est agens tantum, reliqua verò agentia, quae sunt imperfecta, simul agunt & patiuntur. Igitur istis conuenit, vt etiam in agen-

Nax. in 1. part. D, Th. tom. 2.

do intendant aliquid acquirere, non autem primo agenti, sed agere solum ad communicationem suae bonitatis.

Expositio Textus.

AMPLIOR est questio conclusio, quae Deum etiam comprehendit, vt perspicue patet ex textu. Sensem illius aperit S. D. in 3. cont. gent. c. 78. vbi Ferrar. in fine illius capituli mouet dubitationem, & soluit de prima illa parte antecedentis: Primum agens non agit propter acquisitionem alicuius finis. Alteram verò partem eiusdem antecedentis, videlicet, & vnaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem, quae est similitudo perfectionis, & bonitatis diuinae, probat D. Thom. in 19. c. eiusdem libri. Totum autem antecedens explicat Ferrar. in cap. 17. eiusdem libri ratione 7. Propositio verò assumpta ad probationem antecedentis illa videlicet, Omne agens agit propter finem, probatur ab eodem A. nostro D. in 1. 2. q. 1. a. 2. Denique Cai. hic sensum explicat illius propositionis. Reliqua agentia simul agunt, & patiuntur: quem sequitur Bannes.

CONTROVERSIA VNICA.

An diuina bonitas sit finis actionis diuinae?

VALENTIA dicit tria. Primum. Deus in rerum productione aliquem finem praetendit, scilicet suam bonitatem communicare. Secundum. Bonitas Dei non est finis Dei, vel operationis immanentis ipsius Dei, per quam res producit. Tertium. Falsissimum est dictum illud Cai. videlicet operationem Dei formaliter, vt operatio est, habere pro fine ipsam diuinam bonitatem, loquendo de operatione diuina vt est in ipso Deo.

Molina supra q. 19 art. 2. disp. 3. docet obiectum primarium voluntatis diuinae esse finem obiecti secundarij, non autem actus voluntatis diuinae.

Suarez disput. Metaph. 23. sect. 9. dicit quatuor. Primum est. Finis non potest exercere causalitatem suam in diuinam voluntatem, quantum ad actus immanentes, seu determinationes liberas eiusdem voluntatis. Secundum. Quo ad actiones Dei transeuntes, finis non habet in ipso agente Deo aliquam propriam causalitatem. Tertium. Deus vt agens ad extra, siue quod idè est, actio Dei ad extra habet causam finalem, quae tamen actio non est Deus, nec in Deo, sed in creatura. Quartum. Non satisfacit Caietanus dicendo actionem Dei esse Dei essentiam, & quantum ad rem, quae est actio, non habere causam finalem, sed in quantum est actio formaliter, habere Dei bonitatem vt causam finalem.

Paulus Soncinas in 5. Metaph. quest. 2. affirmat Dei voluntatem moueri ab eius bonitate Metaphoricè, & idè ibi saluari veram causalitatem finis.

Ferrar. in primò cont. gent. c. 87. ait diuinam bonitatem secundum modum nostrum intelligendi esse causam diuinae voluntatis, eo quod sit finis, qui apud nos mouet voluntatem ad ea, quae sunt ad finem: sed tamen secundum rem (inquit) non est eius causa; cum non sit realiter distincta ab actu volendi. In tertio verò lib. 6. 17. ait Deum secundum suam entitatem

Hh

Vt

vt sic non esse finem sui ipsius, sed tantum in quantum est agens. Eadem hic vitur distinctione Cai. dicens Deum dupliciter sumi posse. Vno modo absolute, & sic nullus eius est finis: Alio modo vt primum agens, & hoc dupliciter: Vno modo quantum ad rem, quæ est actio, quæ dicitur agens; & sic nullam habet finem, quia actio Dei est eius substantia; & sic consuevit dici, quod Deus agit propter finem, non sui sed aliorum: Alio modo formaliter secundum rationem actionis: & sic habet suam bonitatem finem suæ actionis. Eandem sententiam sequitur Ban. addens in diuina actione formaliter sumpta includi duo scilicet entitatem diuinam, quæ est intrinseca perfectio: & respectum rationis ad creaturam producendam: qui respectus (inquit) licet non constituat actionem diuinam in ratione actionis, est tamen illi intrinsecus: quantum ad primum, actio diuina non habet diuinam bonitatem vt finem, sed tantum quantum ad respectum rationis: quia, cum finis moueat agentem non realiter, sed Metaphoricè, non est necesse vt inter agens, vel eius operationem, & inter finem sit realis distinctio, sed sat est distinctio rationis, ita, vt agens habeat aliquam determinationem à fine per respectum & ordinem ad effectum producendum, & ad dispositionem mediorum. Cui verò non placuerit (inquit) iste modus dicendi, dicat diuinam bonitatem propriè non esse causam finalem actionis Dei, sed esse rationem e-

Resolatio.
aperitur sta-
tim contro-
uersia, &
proponitur
sententia D.
Th. diuinam
bonitatem i-
psius operan-
tis Dei sine
statuentis.

QVÆSTIONEM hanc breuiter attigimus ac definiuimus supra q. 19. art. 2. in explicatio-
ne responsionis ad secundum argum. D. Thom. & a. 5. controu. vnica: Nunc autem ablata in præsen-
ti materia propriè sedis opportunitate è re esse diximus eam latius explicare, suppositis tamen ibidem dictis de bono creato, & eius volitione, quo ad eius causalitatem & rationem volendi, tam respectu alterius boni creati à Deo voliti, quam respectu diuinæ volitionis. Cum autem duplex sit circa creaturas liberarum operationum genus in Deo, ad propositam cōtrouersiam pertinentium: Quædam enim ad actus pertinet immanentes, vt liberæ præfinitiones siuè decreta vel determinationes diuinæ voluntatis, quibus ab æterno decreuit vniuersa in quavis temporis, vel durationis parte, siuè mensura producenda: Quædam autem dicuntur & sunt virtualiter & eminenter transeuntes, vel etiam formaliter sumendo cum multis actionem Dei pro rei emanatione ad creaturam intrinsecè terminata: Proponitur hæc quæstio de vtroque actionum genere; proprias enim vtrinque trahit difficultates: Atque idèo Bannes immeritò difficultatem hanc ad solas arctat actiones immanentes.

Notandum est itaque primo ex D. Thom. in 2. dist. 1. q. 2. art. 1. duplicem esse finem scilicet operis, & operantis. Finis operis, qui dicitur etiam ratio operis, est bonum, ad quod ordinatur opus ab agente: Finis autem operantis est bonum, quod agens principaliter intendit. Differunt hi duo fines: quod finis operis potest esse in re ab operante distincta, sicut lapidum compositio, in qua consistit forma domus, quam vt finem operis ædificator intendit, non in ipso ædificante est, sed in externa materia: Finis autem operantis in ipso semper est operante, sicut domus vtilitas ex eius forma pro-
ueniens finis est & bonum operantis in ipso receptum. Vterque verò finis Deo conuenit ope-

ranti; agit enim propter finem operis, quoniam opus omne diuinum in finem aliquem dirigitur ab ipso Deo. Et quia finis operis semper in finem reducitur operantis, idèo finis etiam ipsius Dei operantis, & actionis eius in Deo est, quod bonum ipsum diuinum est: longè tamen diuerso modo ab eo fine, qui conuenit operanti creaturæ. Nā, vt ibidè ait S. D. pot agens dupliciter agere propter finem: Vno modo propter finem ab eo desideratum, quod soli conuenit creaturæ; quia desiderium est rei non habitæ: creatura verò bonum aliquod ab alio acquirit agendo, vt affirmat etiam Auerroes de motricibus intelligētis in 12. Metaph. tex. 36. dicens eas mouere perpetuò, vt assimilentur Deo in faciendo entia. Alio modo potest agens agere propter finem non ab eo desideratum & acquirendum, sed iam habitum & amatum: quod enim habeamus bonum, non desideramus, sed amamus; & propter hunc finem bonum scilicet suum infinitum habitum, & amatum Deo conuenit operari; nihil enim potest eius bonitati perfectionis adiungi. Ex hoc etenim, quod Deus suam perfectè diligit bonitatem, vult eius similitudinem in res creatas multiplici graduum varietate diffundi. Quod August. in lib. de doctrina Christ. c. 13. significauit dicens: In quantum Deus est bonus, sumus. Et Dionys. in 4. c. de diuin. nominib. indicat illis verbis: Diuinus amor non permittit eum sine germine esse: loquitur enim ibi de rerum creatione. Expressius autem S. D. in eo a. ad 2. sententiam suam aperit dicens: Deus agit propter amorem finis, quia ipsemet est sibi finis à se habitus & amatus; & idèo dicimus, quod diuina voluntas non est perfecta quodam alio, sed seipsa, quia ipsa voluntas est bonitas. Et ad quartum sic ait: Actio diuina est eius essentia, & ex hac parte non quaritur finis eius, sed ex illa parte, qua effectū creaturæ communicat. Et in primo cont. gent. cap. 87. ita loquitur: Voluntati causa volendi est finis: finis autem diuina voluntatis est sua bonitas: ipsa igitur est Deo causa volendi, qua est etiam ipsius suū velle aliorum autem à Deo volitorum nullum est Deo causa volendi. Quod idem ferè clarius repetit in 3. eiusdem operis lib. c. 17. vbi etiam addit finem vltimum cuiuslibet facientis, in quantum est faciens, esse ipsummet facientem, & consequenter Deum, qui factiua est rerum omnium causa, esse earundem omnium finem. Dixerat autem prius, quidquid agit supremum agens, agere propter finem suum, & finem diuinæ voluntatis nihil aliud esse, quam eius bonitatem. Quāuis autem ex verbis hucusque relatis perspicua satis videatur esse D. Thom. sententia: plures tamen apud interpretes habuisse videtur intelligentias, quas tamen existimo bene perpenfas, in nullo ferè esse discordes, & mirificè consentire. Ad cuius euidentiam.

Secundò considerandum est finem non exercere suam causalitatem, siuè actum finalizandi, nisi media efficiētis causalitate; Illud enim est attenditur veram propriam, ac det effectiua causa, eius nec absolute, nec quatenus agēs est, ac pinde, nec operationis eius: propriè loquēdo potest vlla esse causa finalis. Certum est autem nullam siuè immanentem, siuè transeuntem actionem Dei, quæ sit idem realiter quod eius substantia, causam aliquam propriè ac verè efficientem habere in Deo, vel extra, sed rationem tantum siuè causam virtualiter in essendo; Igitur neque finem habet in Deo, vel extra Deum verè & propriè, ex cuius

Explicatur sententia D. Tho. & ostenditur veram propriam, ac det effectiua causa, eius nec absolute, nec quatenus agēs est, ac pinde, nec operationis eius: propriè loquēdo potest vlla esse causa finalis. Certum est autem nullam siuè immanentem, siuè transeuntem actionem Dei, quæ sit idem realiter quod eius substantia, causam aliquam propriè ac verè efficientem habere in Deo, vel extra, sed rationem tantum siuè causam virtualiter in essendo; Igitur neque finem habet in Deo, vel extra Deum verè & propriè, ex cuius

cuius causalitate dependeat aut existat. Nam et si finis Metaphoricè tantum dicatur mouere voluntatem, vbi tamen est vera & propria finis causalitas, vera est etiam & propria voluntatis & operationis & ipsius agentis ex fine dependètia, qualis in quolibet reperitur agente creato. Cum itaque diuinæ voluntati vel eius operationi nulla verè dependentia cõgruat, quia supremum ens est & prima causa, consequens est eius verè nullum esse finem Metaphoricè mouentem: significat enim hæc finalis causæ motio metaphorica, veram, realem, & propriè dictam causalitatem ab efficientis causalitate distinctam. Si verò Metaphoricæ motionis vocabulo non realis ac propriæ causalitatis differentia, sed eius quædam translaticia locutione similitudo significetur, rectè dicitur Deum ad agendum à sola sua bonitate moueri, & ita loquitur S. Th. *supra q. 19. a. 2. ad 2.* Hæc enim loquendi forma nulla designatur actionis diuinæ causa formaliter & propriè dicta, sed agendi ratio, siue causa virtualis in essèdo: quomodo dicimus immutabilitatem Dei perfectam esse rationem ac virtualem, siue conditionalem in essendo causam æternitatis in Deo.

Actio tran-
sens dupli-
citer.

*Tertio recolenda sunt ea, quæ latè supra q. 25. a. 1. diximus, ac de mente D. Th. definiuimus de actione transeunte, quam ibi diximus essentialiter & Metaphysicè sumptam esse perfectionem agentis: quamuis concomitanter siue essentialiter Physicè sit in passo. Est igitur actio Dei essèntialiter & Metaphysicè sumpta diuinæ virtutis infinita perfectio: concomitanter autem siue Physicè quidpiam est à Deo productum, in re creata receptum, siue illud sit relatio, siue sit esse creaturæ: vt à Deo producente & conseruante dependens. De hoc secundo actionis modo certum est illius esse finalem causam, nõ solum diuinam bonitatem, sed etiam aliud bonum à Deo creatum, saltem totius vniuersi perfectionem, vt affirmat etiam Aristoteles in 12. *Metaph. tex. 52.* & D. Thom. *supra qu. 19. ar. 1. & 5. & expressius infra q. 65. a. 2. & q. 103. a. 2. & alibi sæpè.* Quamuis enim causa finalis nullum producat effectum, nisi moto prius finaliter agente ad operandum: non semper tamen est hæc motio realis & propria causalitas, vt ante diximus, sed virtualis quædoque & sola ratio, vt in Deo, qui nullius boni mouetur ad operandum desiderio, sed ex amore solius agit congenitæ bonitatis.*

Tota difficultas est de actione Dei, prout in Deo est, vt eius infinita perfectio: an scilicet huius, vt actio est, sit causa finalis diuinæ bonitatis, vt hic affirmat Cai. & post eum Ferrar. Bannes & Ripa. Ad cuius euidenciam obseruandum est actionem agentis, vt actio est, includere formaliter ordinem ad passum, siue terminum actione productum; est enim in agentibus creatis actio propter perficiendum passum: In agente verò primò, quamuis ad nullius rei creatæ perfectionem ordinetur vt ad finem, ad eam tamen habet ordinem hoc ipso, quòd eius actiua communicatio est. Et quoniam ordo vinculu quoddam est rerum ordinarum vnitiuum, vt perpicue patet in exercitu, familia, populo & vniuerso: & in his fin vnitis, quod vni conuenit, sæpè denominatione quadam redundat in alterum & in totum: cum præsertim vnum se toto dependet ex altero, & eodem vocabulo nominatur, vt ad eò, idem cum eo, & eius quasi complementum esse videatur: sicut in proposito passiuæ creaturæ productio & conseruatio ab a-

ctione Dei se tota dependet, & actio nũcupatur, prout emanatio à Deo: atq; ideo velut vna sola & integra sumitur operatio actionis simul essèntialiter & Physicè continens, cuius sic consideratæ dicitur esse finis diuina bonitas, quæ propriè tamen ac vere finalis causa est solius emanationis creatæ, siue actionis concomitanter sumptæ. Et hoc est, quod *hic, & locis supra notatis* significat S. D. & exprimit Cai. & probat euidentibus argumentis ex littera præsentis articuli deductis. Et idem videtur Bannes intendere, quamuis non satis aptè loquatur dicendo actionem diuinam, quantum ad respectum rationis inclusum, habere pro fine diuinam bonitatem, & finem ab agente, aut eius actione non necessariò distingui realiter: eo quòd agentem non realiter, sed Metaphoricè moueat: atque ided satis esse distingui ratione finem ab agente sic, vt à fine determinationem habeat agens in actione sua per ordinem ad effectum producendum, & ad dispositionem mediorum: siue illa determinatio sit per modum realem siue rationis; Hæc enim esse videtur opinio Soncinatis, quæ sufficienter ex dictis remanet confutata: Si quidem ea finis motio metaphorica vera est, ac propria & realis eius causalitas, qua differt ab agentis causalitate: Constat autem propriam & verè causam ab eo realiter distingui, cuius est causa; implicat enim idem à seipso causari. Atque ideo rectè dixerunt alij actionem Dei siue immanentem, siue transeuntem prout in Deo est, nimirum præcisè sumptam non respicere vt finem diuinam bonitatem.

Soncinatis
& Bannesij
opinio reie-
ctæ.

PRIMA CONCLUSIO. *Actionis diuina secundum rem, siue secundum eius substantiam nulla est finalis causa.* Probatur; Quia diuinæ substantiæ nulla est causa.

Conclusio
nes, dedu-
ctæ &
probate.

SECUNDA CONCL. *Actionis immanentis diuina, qua determinatur productio creaturæ, causa finalis est diuina bonitas, non vt actus, & propriè causa, sed virtute tantum, & vt finalis agendi ratio, & secundum modum nostrum intelligendi.* Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Actionis Dei transeuntis concomitanter siue Physicè sumpta finis est vltimus diuina bonitas; proximus verò creatum aliquod bonum.* Probatur; Quia actio sic sumpta boni creati emanatio siue passiuæ productio est secundum rem; igitur ad suum terminum rem scilicet emanantem, & ad vniuersi perfectionem, & ad Dei bonitatem vt finem ordinatur.

QUARTA CONCLUSIO. *Actionis diuina, vt actio est essentialiter, & Metaphysicè sumpta, finis est diuina bonitas.* Hæc conclusio accipienda est in sensu declarato in tertio fundamento.

CONTRA secundam concl. argumentatur Suar. Quia si intelligamus in Deo causalitatem obiectiuè respectu suæ voluntatis, falsum intelligimus; ergo intelligenda est ratio causalitatis in Deo, ex parte nostra tantum; quia scilicet non possumus diuina concipere aut explicare, nisi ad modum rerum creatarum.

Argum.
Suar.
Obj. 1. cont.
2. concl.

Respondetur hoc argumento probari non esse in Deo realem & actualem, ac propriè dictam causalitatem finalem respectu actus diuinæ voluntatis, cum sit tamen in Deo causa virtualis & finalis agendi ratio, non solum ex parte modi nostri concipiendi, sed etiam ex parte rei obiectiuè; vnde dicitur à Philosophis causa in essendo virtualiter,

Obi. 2.

Secundo. D. August. lib. 83. quest. negat quærendam esse causam diuinæ voluntatis, ob quâ voluit mundum creare; & rationem reddit; quia omnis causa efficiens est, id est in omni vera causa, intercedit aliqua efficiens causa. Resp. hoc etiam argumento solum probari nullam esse causam actualiter & propriè diuinæ voluntatis.

Solut.

Obiect. 3.

Contra eandem concl. argumentatur Soncinas. Finis mouet voluntatem Metaphoricè, quod mouere non est aliquid in moto causare, sed est esse id, propter quod, siue cuius gratia aliquod agens agit; Ergo cum dicitur, quòd Deus amat se propter bonitatem suam tanquam propter finem, non videtur ex hoc aliquid significari, nisi quod bonitas mouet Metaphoricè voluntatem ad amorem ipsius essentia; ergo bonitas Dei est propriè & actu causa finalis suæ voluntatis. Resp. falsum esse anteced. quoad secundam partem; causat enim motio finis actionem in agente, & ideo finis causalitas est realis: sicut in eo, quod à fine mouetur, est dependentia realis à fine. Et sicut realis finis causalitas significatur per hoc, quod est esse gratia cuius: sic dependentia realis agentis à fine denotatur per hoc, quod est esse vel agere propter hoc, vel illud bonum, siue finem. Cum ergo dicitur Deus amare se propter bonitatem suam tanquam propter finem, similitudinaria locutio est modum exprimens intelligentiæ nostræ superius explicatum: & rationem siue causam virtuales tantum significat diuinæ voluntatis. Non satis tamen congruè diceretur Deus amare se propter bonitatem suam tanquam propter finem; quoniam particula illa, tanquam propter finem, videtur exprimere finis causalitatem in actu.

Solut.

Obi. cont. 3. concl.

CONTRA tertiam concl. est argumentum. Causa finalis non exercet suam causalitatem, nec vllum habet effectum, nisi medio efficiente ab ea moto ad operandum. At diuina bonitas non est actu & propriè finis mouens Deum ad operandum. Ergo nec erit actu & propriè finis actionis Dei transeuntis concomitanter sumptæ. Resp. falsam esse primam propositionem, si sermo sit de motione actuali & propriè dicta; sufficit enim in agente Deo motio virtualis, & secundum modum nostrum intelligendi in re diuina eminentissima fundamentum habente, vt Deus operetur ad extra, & operum suorum effluxum ac eius terminum, rem scilicet productam ad suam, vt ad vltimum finem ordinet bonitatem.

Solut.

Obi. 1. cont. 4. concl.

CONTRA vltimam concl. argumentatur Val. Non est minus idem cum diuina bonitate operatio Dei formaliter, vt est operatio in Deo, quam est vel ipse Deus absolute, vel operatio quo ad rem quæ est essentia diuina; ergo non minus operatio Dei formaliter, quatenus operatio in Deo est, caret illo fine diuinæ bonitatis, quam alia duo. Consequenter. Ideo enim illa duo dicit Caiet. non habere pro fine diuinam bonitatem, quia omnino sunt idem. Antecedens probatur. Quia operatio formaliter, qua Deus produxit creaturas, est intellectio & volitio Dei, vt sunt actiones reales; ergo est idem omnino cum diuina bonitate: Nam quidquid est in Deo reale, est idem cum diuina bonitate.

Conf.

Et confirmatur. Quia S. Thom. nunquam

A docet Deum, vel eius operationem habere diuinam bonitatem pro fine, sed tantum Deum agere ob suam bonitatem, vt ob finem, id est ob finem creaturarum. Respondetur antea. Solutio. dicens dupliciter intelligi posse: Vno modo de identitate reali, & sic falsa est consequentia. Ad cuius probationem, dico Caiet. negare illa duo habere pro fine diuinam bonitatem, non quia præcisè sint idem realiter, sed quia vtrumquè res est simpliciter infinita, nullum vt sic dicens ordinem ad effectum, & consequenter nec etiam ad finem: Alio modo potest antecedens illud intelligi de identitate formali, vel etiam absolute, in quo sensu falsum est manifestè; Nam actio Dei, vt actio est, dicit ordinem ad effectum, quem non importat eadem actio, vt est substantia vel essentia Dei: Probatio verò antecedentis, procedit de identitate reali, & perspicuè probat distinctionem formalem; Nam intellectio Dei & volitio, vt actiones sunt, formaliter distinguuntur ratione formali ratiocinata ab essentia diuina, & eius bonitate ob dictum ordinem propter quem superius diximus actionem essentialiter, & actionem concomitanter pro vna computari, & vnâ vel vtramque simul ex alterius (scilicet eius quæ per se dependet) prædicato, quod illi conuenit vt actio est, denominari. C Sicut enim posterior ex priori denominatur actio, sic ex posteriori prior denominatur esse propter finem ob dictam causam, quia scilicet ob ordinis vnitatem, & nominis identitatem pro vna computantur actione completa. Ad confirmat. negatur assumptum vt patet ex verbis S. D. supra notatis. Ripa multa loquitur in huius argumenti solutione, sed videtur nodum attingere, nec explicat quomodo Deus, vt agens est, finem habeat.

Contra eandem concl. argumentatur Suar. Obi. 2. Vel actio vt actio est aliquid rei addit ipsi Deo, & sic nõ erit in ipso Deo: Vel nihil rei addit, & secundum id non potest habere causam finalem. Respondetur secundum verum esse. Ad impugnationem negatur assumptum: Nam ex addita ratione formali dicit ordinem ad effectum, & vnitatem habet ordinis cum actione concomitanter accepta, & ideo in vnum & eundem cum ea finem vltimum dicitur ordinari. Nec est eadem ratio de fine proximo; quoniam, vt ante diximus ex D. Thom. in 2. ille non est finis agentis, vt agens est, sed operationis tantum, quæ operatio in re præsentis est actio concomitanter sumpta. Et ad hunc sensum reducenda est responsio Ban. quam impugnat Suar. si tamen est sustinenda. Vide etiam quæ scribit Ban. de propolita difficultate.

Proponitur, & soluitur dubitatio de veritate responsionis ad secundum argumentum, prout exponitur à Caietano.

SECUNDUM argumentum, & eius responsio plures secum affert difficultates, quas hic subtiliter versat & definit eruditè Caiet. affirmans de mente D. Thom. omne agens sui diffusionem seu communicationem intendere propter seipsum vt finem: quamuis diuersa ratione primum à cæteris, vt perspicuè patet

Solutio.

Ad confir. Ripa solutio respicitur.

Obiectio tacite solutio.

in commentario dicti expositoris. Quod idem affirmat S. D. in 3. contra gentiles, cap. 17. ubi sic loquitur. Finis ultimus cuiuslibet facientis in quantum est faciens est ipsemet. Sed oppositum docet aperte S. D. quodlib. 1. art. 8. in respons. ad 3. argumentum, quod erat tale: *Natura in se recurva est: quia scilicet omnia, quae amat, retorquet ad se. Sed propter quod unumquodque tale, & illud magis ergo naturali dilectione primus homo plus diligebat seipsum, quam Deum.* Responsio verò ibidem est: Dicendum, quòd inclinatio rei naturalis est ad duo, scilicet ad moueri, & ad agere. Illa autem inclinatio natura, quae est ad moueri, in seipsa recurua est; sicut ignis mouetur sursum propter sui conseruationem: sed illa inclinatio natura, quae est ad agere, non est recurua in seipsa; Non enim ignis agit ad generandum ignem propter seipsum, sed propter bonum generati, quod est forma eius; & ulterius propter bonum commune, quod est conseruatio speciei. Vnde patet, quòd non vniuersaliter verum est, quod omnis dilectio naturalis sit in se recurua. Quibus verbis perspicue negat S. D. ignem, & quolibet agens naturale agere ad generandum propter seipsum, dicens agere propter bonum generati, quod est forma eius &c. Sed inspecta diligentius intentione D. Thom. in eo quolibet, conciliari praedicta facile poterunt cum his, quae minus hic aperte significantur, & cum expositione Caiet. Quarebat enim ibi S. D. An primus homo in statu innocentiae dilexerit Deum super omnia: & pro negatiua tria producit argumenta, ex quibus illud est tertium, cuius responsonem hic examinamus; in qua discrimen statuitur inter inclinationem naturae, quae est ad moueri, & eam quae est ad agere, quod illa in se recurua est, id est ad rem, cuius est inclinatio, tanquam ad finem ordinata; haec autem in seipsam recurua non est, id est ad rem, cuius est inclinatio, non ordinatur ut finem. Quae differentia formaliter intellecta verissima est: Nam inclinatio, quae est ad moueri, ex sui ratione formalis est ad perfectionem, & bonum acquirendum ipsi mobili; motus enim & terminus eius formalis est in mobili: & ideo dicitur ignis moueri sursum propter sui conseruationem, ut finem acquirendum. Sed inclinatio naturae, quae est ad agere, ex sui ratione formalis tendit ad extra, & est propter perficiendum passum, & consequenter propter bonum passi, & propter bonum generati, quod est forma in eo recepta: & multò magis propter bonum commune speciei ad quod ordinantur singula particularium bona: & adhuc amplius propter totius vniuersi bonum extrinsecum, quod Deus est, à quo dependet caelum, & tota natura, ut ait Philosophus in 12. Metaph. His autem non repugnat veritas praesentis doctrinae D. Thom. & Caiet. dicens formam geniti non esse finem generationis ut ab agente: (quia scilicet agens sui communicationem ordinat ad seipsum tanquam ad finem) sed eandem ut similem formam generantis esse finem generationis. Nam, quia forma geniti ut similis formae generantis vna est cum illa, & eius quasi vicaria est: idcirco finis generationis formaliter est forma generantis. Quibus enim finis generationis non coincidat in idem numero cum forma generantis, redundat tamen in idem numero: si quidem forma geniti non est finis generationis, nisi ut similis formae generantis: Aliud est autem dicere inclinationem, quae est ad agere ut sic, non ordinari ad ipsum agens ut ad finem, quod

Conciliatur
Cai. cum D.
Thom.

Afferitur in dicto quolibet: & aliud est affirmare agens sui communicationem intendere propter seipsum ut finem, quatenus scilicet forma geniti finis est generationis, ut similis formae generantis, quod hic significat S. Th. & explicat Caiet. Agere enim ut agere non dicit facere simile aut dissimile, sed agere tantum: agere autem ut sic est propter perficiendum passum. Agere verò, ut agentis est communicatio, vel productio formae similis, dicit facere simile, quod ut sic vnum est cum faciente; & ideo hoc ipso, quod tale facere est ad simile formaliter, est ad ipsum agens ut ad finem. Praeterea. S. D. in dicta respons. ad 3. illud argumentum solum intendit excludere, quod eo deducebatur argumento, videlicet primum hominem in statu innocentiae non dilexisse Deum super omnia, sed seipsum plusquam Deum, ac proinde ut ultimum finem, quod sufficienter efficit ea responsonem: quia nimirum actio naturae, quae est ad agere ut sic, in aliud tendit scilicet in passum perficiendum, cuius perfectio ordinatur in commune bonum, & consequenter in Deum. Et quamuis inclinatio ad moueri ordinatur in commune bonum, & tandem in Deum, non tamen habet ordinem hunc formaliter ex modo, & ratione formali suae inclinationis, quae ut sic recurua est in ipsum passum, nec ex sui ratione ordinem habet ad aliud extra passum.

Quomodo autem agens creatum sit finis ultimus sui ipsius, explicat Ferrariculis in supra dicto cap. 17.

QUAESTIO XLV.

De modo emanationis rerum à primo principio in octo articulos diuisa.

Deinde queritur de modo emanationis rerum à primo principio, qui dicitur creatio. De qua queruntur octo.

Primò, quid sit creatio.

Secundò. Vtrum Deus possit aliquid creare.

Tertiò. Vtrum creatio sit aliquid ens in rerum natura.

Quartò. Cui competit creari.

Quintò. Vtrum solus Dei sit creare.

Sextò. Vtrum commune sit toti Trinitati, aut proprium alicuius personae.

Septimò. Vtrum vestigium aliquid Trinitatis sit in rebus creatis.

Octauo. Vtrum opus creationis admisceatur in operibus natura, & Voluntatis.

Ratio ordinis huius questionis, & articulorum.

Cognita praecedentis quaestiones discussu triplici rerum in Deo summo totius entis principio ratione causae scilicet efficientis, exemplaris & finalis, consequens erat, ut quaestio proponeretur de modo causalitatis diuinae, & emanationis rerum ab ipso Deo principio. Potest autem in emanatione duplex modus considerari: Vnus ex parte producentis, secundum quem distinguitur emanatio in liberam & naturalem siue

necessariam, de quo non agit hic S. D. sed supra *quæst. 19. art. 3. 4. & 10.* Alius attendi potest modus emanationis ad ipsam emanationem pertinens secundum se, aut secundum eius intrinsecum terminum: & de hoc instituitur hæc præfens quæstio, quam S. D. in octo distinguit articulos: Quorum hic esse videtur ordo. Nam primò discribit de quidditate creationis, & eius diffinitionem statuit in primo articulo: deinde singula ad eius explicationem pertinentia, singulis declarat articulis.

Creationis
definitio.

Est autem diffinitio. Creatio est emanatio totius entis ex nō ente à primo principio. Cui diffinitionis præcipuam partem, quæ tangit terminos, & obiectum formale creationis probat & explicat in primo articulo, illam videlicet totius entis ex non ente. Deinde declarat postremam particulam, quæ prior est ceteris ordine naturæ, decernens in secundo articulo necessarium esse omne ens esse creatum à Deo ut vniuersali & prima causa totius esse. Deinde in art. 3. quærit, & explicat ex parte subiecti rationem emanationis, quæ creatio passiuæ est in re creata, & ex actione Dei creantis resultat in creatura. Quartò eandem emanationem elucidat art. 4. quo ad intrinsecum eius terminum ubi quærit, an creari sit proprium compositorum & subsistentium. Quintò ad completam principij creationis intelligentiam quatuor ordinatè sese consequentes soluit dubitationes. Prima est, quam in quinto versat articulo, an scilicet possit alteri à Deo conuenire creatio saltem ut instrumentum. Secunda, quæ sexto tractatur articulo est, an creare sit proprium alicuius personæ: quæ sequitur ex præcedente nobis notiore; nã si Deo soli creatio conuenit, meritò dubitatur, an illi conueniat ut actio tribus communis, an ut alicui personæ propria. Denique ex huius definitione confurgit dubitatio de vestigio Trinitatis in creatura. Nam si personæ diuinæ aliquo modo scilicet secundum rationem suæ processione habent causalitatem respectu creationis rerum: cum omne agens agat sibi simile, meritò dubitatur, an in creaturis sit necesse reperiri vestigium Trinitatis. Postremò dubitationem tractat confurgentem ex definitione facta in 4. art. & ex opinione quorundam Philosophorum. An scilicet creatio admisceatur operibus naturæ & artis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virum creare sit ex nihilo aliquid facere.

AD Primum si proceditur. Videtur, quod creare non sit ex nihilo aliquid facere: dicit enim Aug. * contra aduersarium legis, & prophetarum. Facere, est quod omnino non erat: creare verò est ex eo, quod iam erat, educendo aliquid constituere.

2. Præterea Nobilitas actionis, & motus ex terminis consideratur. Nobilior igitur est actio, quæ ex bono in bonum est, & ex ente in ens, quam quæ est ex nihilo in aliquid. Sed creatio videtur esse nobilissima actio, & prima inter omnes actiones. Ergo non est ex nihilo in aliquid, sed magis ex ente in ens.

3. Præterea. Hæc propositio Ex, importat habitudinem alicuius causæ, & maxime materialis: sicut eum dicimus, quod statua sit ex ære. Sed nihil non est materia entis, nec aliquo modo causa eius. Ergo creare non est ex nihilo aliquid facere.

Sed contra est, quod super illud Gen. 1. In primi-

233.
2. dist. 2. q.
2. a. 2. Et po.
q. 3. art. 1.
Cont. ad
1. Gen. c. 2. 4.

A pio creauit Deus eolum, &c. dicit glos. * quod creare est aliquid ex nihilo facere.

Respondeo. Dicendum, quod (sicut supra dictum est *) non solum oportet considerare emanationem alicuius entis particularis ab aliquo particulari agente, sed etiam emanationem totius entis à causa vniuersali, quæ est Deus: & hanc quidem emanationem designamus nomine creationis. Quod autem procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi. Sicut si generatur homo, nō fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo. Vnde si consideretur emanatio totius entis vniuersalis à primo principio, impossibile est, quod aliquid ens præsupponatur huic emanationi. Idem autem est nihil, quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo: ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente: quod est nihil. e

Ad Primum ergo dicendum, quod Aug. equiuocè vitur nomine creationis, secundum quod creati dicuntur ea, quæ in melius reformantur; ut, cum dicitur aliquis creati in episcopum. Sic autem non loquimur hic de creatione, sed sicut dictum est. *

Ad Secundum dicendum, quod mutationes accipiunt speciem, & dignitatem non à termino, à quo, sed à termino ad quem. Tandem ergo perfectior, & prior est aliqua mutatio, quando terminus ad quem illius mutationis est nobilior, & prior, licet terminus à quo, qui opponitur termino ad quem, sit imperfectior. Sicut generatio simpliciter est nobilior, & prior, quæ alteratio, propter hoc, quod forma substantialis est nobilior, quam forma accidentalis: tamen primatio substantialis forme, quæ est terminus à quo in generatione, est imperfectior, quam contrarium, quod est terminus à quo in alteratione. Et similiter creatio est perfectior, & prior quam generatio, & alteratio, quia terminus ad quem est tota substantia rei. Id autem quod intelligitur ut terminus à quo, est simpliciter non ens.

Ad Tertium dicendum, quod cum dicitur, aliquid ex nihilo fieri, hæc præpositio Ex, non designat causam materiale, sed ordinem tantum: sicut cum dicitur, ex mane fit meridies, id est, post mane fit meridies. Sed intelligendum est, quod hæc præpositio Ex, potest includere negationem importatam in hoc, quod dico nihil, vel includi ab ea. Si primo modo, tunc ordo remanet affirmatus, & ostenditur ordo eius, quod est ad non esse præcedens. Si verò negatio includat præpositionem, tunc ordo negatur, & est sensus: Fit ex nihilo, id est non fit ex aliquo: e sicut si dicitur, iste loquitur de nihilo, quia non loquitur de aliquo. Et vtroque modo verificatur, cum dicitur, ex nihilo aliquid fieri. Sed primo modo, hæc præpositio Ex, importat ordinem, ut dictum est. e Secundo modo, importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur.

Sensus quæstii.

DE NOMINE creationis & eius multiplici significatione discribit Zum. infra q. 65. a. 3. & Bannes hic, & post eum Mol. Val. & Vasq. Hic sumitur nomen creationis strictè & propriissimè.

Aduerte præterea creationem dupliciter accipi, scilicet actiue & passiuè, ut patet ex 3. a. huius q. ad 1. & 2. Hic verò quamuis actiue tantum sumi videatur ex forma quæstii, & ex primo argumento & eius responsione, passiuam tamè significationem intendi præcipue declarat euidenter emanationis vocabulum pluries in corpore repetitum: & secundum etiam, & tertium argumentum, cum suis responsionibus quæ de passiuæ productione loquuntur manifestè. Trãsit autem S. D. ex actiua creatione in titulo proposita ad emanationem, quæ passiuæ productio est.

Beda in hâc locum to. 1. 2. preced. art. 2.

In corp. art.

335

b
247

est: vt ex hac in re creata existente veluti notiore canobis innotesceret, quæ diuina actio est, & Dei substantia cum relatione ad creaturas, vt dicitur in frâ art. 3 ad primum.

Forma Textus.

CONC. est. Creatio est ex non ente, quod est nihil. Probatur. Emanationi totius entis vniuersalis à primo principio nullum ens præsupponitur; Sed creatio est emanatio totius entis, & idem est nihil, quod nullum ens; ergo creatio est ex non ente, quod est nihil. Probatur maior; quia duplex est emanatio, scilicet entis particularis ab aliquo particulari agente, & totius entis à causa vniuersali: at quod procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi; ergo in emanatione totius entis vniuersalis à primo principio nullum ens præsupponitur. Minor huius argumenti probatur inductiue; quia, si generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo. Minor autem principalis argumenti declaratur ex distinctione prædicta, & differentia inter emanationem particularem, & vniuersalem, quâ nomine creationis designamus.

Expositio Textus.

AD huius articuli declarationem pertinet ea, quæ latè scribit Caiet. *suprà q. præced. a. 2. & Ferrar. in 2. cont. gent. cap. 16.*

CONTROVERSIA VNICA.

De sensu conclusionis.

Sententia
Expositio.

MOLINA sequens Dur. in 2. dist. 1. q. 1. dicit tria. Primum est particulam ex in conclusione positam exponendam esse negatiue, ita vt sensus conclusionis sit: creatio est ex non ente, siue ex nihilo, id est non de aliquo. Secundum est Eandem particulam non denotare nihilum esse materiam, ex qua res fiant per creationem: cum id contradictionem implicet. Tertium est: Eandem particulam non denotare habitudinem, siue ordinem ad terminum à quo, quasi præcedere debeat terminum ad quem.

Zumel. in frâ quaest. 65. art. 3. declarans quid sit creatio, docet dictam præpositionem ex dicere ordinem non affirmatiuum, sed negatiuum.

Sed oppositum affirmat S. D. hic ad 3. Capr. in 2. dist. 1. q. 2. ad argumenta Dur. contra quartam concl. & Caiet. hic, quem alij sequuntur expositores.

Sciendum est primò ex D. Thom. de pot. q. 3. a. 1. ad 16. ex opposito priuatiue fieri aliquid, id quomodo fit est eius oppositum dupliciter, scilicet per se & ad aliquid ex per accidens: sed alia & alia ratione; Nam si oppositum, ex non ente, tam per se, quam per accidens, & coligitur distinctio esse infiguratum. Si verò præpositio ex denotet ordinem, fit aliquid ex opposito per se, & hoc modo priuatio dicitur esse principium per se fieri, sed non effici: & sic etiam di-

clufionis, id est, post nihil.

Ad cuius euidenciam recolenda est doctrina Arist. in primo Physic. text. 76. quam explicat supra Caietanus in præcedenti quaestione art. 2. Illud nimirum fieri per se, cuius ratio factioñe non præfuit immediate: Id verò fieri per accidens, cuius ratio præerat, antequam fieret; Exempli gratia, fit per se coloratum ex non colorato: fit verò per accidens coloratum ex nigro, quando fit album, eo quia in nigro præfuit coloratum. Cuius differentie Philosophus in eo textu rationem adducit, quòd nullius agentis intentio fit facere, quòd iam est, sed efficere, vt de nouo fit, quod ante non erat. Si namque id solum agens intenderet, quod existit, nequaquam ageret, ne frustra laboraret. Quemadmodum itaque singularum genera, sic & ipsum ens fieri potest ab agente dupliciter. Vno modo per accidens, quando nimirum præfuit ens, cum scilicet efficitur vnum ens ex altero, sicut album vel coloratum ex nigro: Alio modo per se, quando fit ex non ente, seu ex nihilo, id est post nihil: sicut per se fit coloratum ex non colorato, vt hic etiam significat S. D. in probatione conclusionis inferens in emanatione totius entis à primo principio nullum ens præsupponi. Sicut in emanatione particulari quod fit non præsupponitur, & cum generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo. Similiter itaque totius entis productio fit ex non ente.

Quid autem hic nomine totius entis significetur, explicat optimè Caiet. dicens totum ens dupliciter sumi posse: Vno modo pro totius entis participati latitudine: & sic idem est quod totum vniuersum, & sic dicitur Deus totum ens ex nihilo creasse, quia simul totum hoc vniuersum nullo prorfus ente finito præexistente produxit. Alio modo pro aliquo particulari ente toto Sincategorematicè, id est quo ad omnia & singula ad illud intrinsecè pertinentia. Et in hoc sensu, si fieret à Deo nouus Angelus, diceretur hoc totum ens à Deo productum & creatum; quia de nihilo sui, id est post nihil sui factum esset hoc ens. Et eadem ratione creari dicitur anima intellectiua; quoniam, etsi fiat in corpore veluti in subiecta materia, fit tamen ex nihilo sui, id est post nihil sui, quia nihil eius præfuit in materia, nec ab ea dependet in esse: sed vt Philosophus ait in 2. de partibus anim. cap. 1. mens inter formas animantium sola diuina est, & de foris venit, secum afferens substantentiam, ac esse & ea corpori communicans. Eandem doctrinam habet S. Thom. de pot. quaest. 3. art. 4. ad 7. & Capreol. in 2. distinct. 1. quaest. 2. ad 7. Aureol. contra quartam concl.

Secundò obseruanda est diligenter doctrina responsionis ad tertium argumentum, quam latius extendit author de pot. quaest. 3. art. 1. ad septimum, & explicat, ac defendit Capreolus in 2. distinct. 1. quaest. 2. ad argumentum, & confirmationes, & replicationes Aureoli contra quartam conclusionem. Exponit autem S. D. in ea responsione dictum illud Boetij: Entis ad non ens, non est aliquis ordo, de ordine determinatæ proportionis, vel de ordine qui fit realis relatio, quæ inter ens est, non ens esse non potest. Vbi verò talis est ordo,

ordo, nullum esse necesse est extremis communefubiectum, nisi secundum imaginationem, vt ait S. Thom. in art. 2. dicta quasi. de potentia in cap. quem locum notat & refert ad verbum Capr. in allegata q. & resp.

Creationis diffinitio

Ex dictis, ac prænотatis colligi facillè potest non solum creationis diffinitio, sed etiam legitima eius intelligentia. Est enim creatio productio, siuè emanatio totius entis ex nihilo. Cuius non solum singulæ partes habentur in textu, sed etiam ipsa tota diffinitio concluditur in fine corporis. Prima particula, quæ ponitur loco generis, est productio, siuè emanatio, ad designandum creationem hic sumi tam actiue, quam passiuè, & vtrique conuenire diffinitionem hanc. Vnde etiam in titulo proponitur quæstio de creatione actiua, significata verbo creare: in corpore verò respondet de emanatione, qua passiuè productio significatur; eadem enim responso proposito quæstio satisfacit in vtroque sensu. Reliquarum verò partium sensus perspicuè patet ex dictis.

Alia potest etiam afferri creationis diffinitio ex doctrina secundæ præcedentis quæstionis articuli collecta, videlicet: Creatio est productio entis in quantum ens. Cuius intelligentiam nobis etiam aperient in præcedenda articulo quinto. Sit igitur nobis hæc.

Conclusio. nra.

PRIMA CONCL. Creatio est productio entis ex nihilo.

SECUNDA CONCL. Præpositio ex in diffinitione creationis posita dupliciter sumi potest. Vno modo affirmatiue, & sic designat ordinem eius, quod est ad non esse præcedens. Alio modo negatiue, & sic negat ordinem, adeo, vt sit sensus: fit ex nihilo, id est non ex aliquo tanquam ex materia.

Argum. Solus.

CONTRA primam concl. sunt argumenta Aureoli apud Capr. in 2. dist. 1. qu. 2. contra 4. eius conclusionem ibi flucta. Contra eandem concl. sunt argumenta, quæ profert & soluit Zum. in dicto a. 3.

Obi. 1. cont. 2. concl.

CONTRA secundam concl. argumentatur Molina. Primò. Secundum Ansel. in Monologio cap. 8. pars illa ex nihilo exponenda est negatiue, ita vt sensus definitionis sit: Creatio est productio rei non de aliquo; ergo non denotat ordinem termini à quo, quasi præcedere debeat terminum ad quem. Respond. primò Ansel. per eam expositionem velle solum excludere realem ordinem ad materiam, vel terminum præcedentem. Secundò dico nullam esse consequentiam. Non enim excludit aliam expositionem, quæ rationis ordinem tantum admittit.

Obi. 2.

Secundò. Ad rationem propriam termini à quo requiritur subiectum, cui primò insit terminus à quo, atque adeo à quo expellatur ratio termini à quo per aduentum termini ad quem. Respond. hoc argumentum esse replicam Aureoli apud Capr. loco citato, cui respondet Capreol. dicens, non vbiunque est talis ordo requiri commune subiectum, siuè substratum propriè loquendo vtrique termino, nisi sit ordo realis, qualis non est inter ens & non ens, vt manifestè docet S. Thom. in dicta q. 3. de pot. art. 2. in cap. & in art. seq. in respons. 2.

Obi. 3.

Tertio. Ad rationem creationis per accidens est quòd non esse rei, quæ producitur, duratione antecedit rem ipsam, dummodo talis res non producat de aliquo; ergo Antecedens probatur; quoniam id solum necessarium est ad creationem, quæ cum noui-

tate essendi fit: potuit autem aliquid esse creatum à Deo ab æterno. Respond. nullam esse consequ. vt enim sit ordo rationis entis ad non ens, non requiritur, vt non esse duratione præcedat, sed sufficit naturæ prioritas, non positiue, sed negatiue sumpta per hoc significata, quod dicitur ens creatum ex se non habere esse: Quælibet enim res à Deo creata sibi derelicta non habet esse; ergo prius natura illi conuenit non esse, quam esse. Probatur sequela; quia esse conuenit illi ab intrinseco, s. ab efficiente, non autè ex se, vt hic etiam aduertit Vasquez.

Solus.

CONTRA eandem concl. argumentatur Zumel. Obi. 4. Ordo affirmatiuus exposcit existentiam vtriusque extremi; ergo talis ordo reperiri non potest inter nihil & ens. Resp. antec. verum esse de ordine reali, non autem de ordine secundum rationem, secundum quem ordinem indifferenter dici potest ens habere ordinem ad nihil, & è contras dicit enim ordo relatione formaliter mutuum. Quare frustra laborat Ripa contra Val. & alios.

Ripa labor vanus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Verum Deus possit aliquid creare.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd Deus non possit aliquid creare; Quia secundum Philosophum 1. Physic. Antiqui philosophi acceperunt vt communem conceptionem animi, ex nihilo, nihil fieri. Sed potentia Dei non se extendit ad contraria primorum principiorum, vt potest, quod Deus faciat, quòd totum non sit maius sua parte: vel quòd affirmatio, & negatio sint simul vera, ergo Deus non potest aliquid ex nihilo facere vel creare.

239

2. dist. 1. q. 1.

4. 2. 3. 4.

d. 37. q. 1. a.

1. Et 2. cõ.

c. 6. 15.

56. Ep. q. 9.

2. a. 16. cor.

7. Ten. 34.

tom. 2.

2 Præterea. Si creare est aliquid ex nihilo facere: ergo creari est aliquid fieri. Sed omne fieri est mutari: ergo creatio est mutatio. Sed omnis mutatio est ex subiecto aliquo, vt patet per diffinitionem motus. Nam motus est actus existentis in potentia. ergo est impossibile aliquid à Deo ex nihilo fieri.

Li. 3. Ph. 4.

6. tom. 2.

3 Præterea. Quòd factum est, necesse est aliquando fieri. Sed non potest dici, quòd illud, quòd creatur, simul fiat, & factum sit: quia in permanentibus, quòd sit non est: quòd autem factum est, iam est: simul ergo aliquid esset, & non esset. Ergo si aliquid sit, fieri eius præcedit factum esse. Sed hoc non potest esse, nisi præexistat subiectum, in quo sustentetur ipsum fieri. Ergo impossibile est aliquid fieri ex nihilo.

4 Præterea. Infinitam distantiam non est pertransire. Sed infinita distantia est inter ens, & nihil. Ergo non contingit ex nihilo aliquid fieri.

Sed contra est, quòd dicitur Gen. 1. In principio creauit Deus cælum & terram, vbi dicit glo. quòd creare est aliquid ex nihilo facere.

Matetur ex Beda super hunc locum.

Respondet. Dicendum, quòd non solum est impossibile à Deo aliquid creari, sed necesse est ponere à Deo omnia creata esse, vt ex præmissis habetur. Quicquid enim facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit, præsupponitur actioni eius, & non producitur per ipsam actionem. Sicut artifex operatur ex rebus naturalibus, vt ex ligno, & are, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ. Sed ipsa natura causat res naturales quantum ad formam, sed præsupponit materiam. Si ergo Deus nõ ageret nisi ex aliquo præsupposito; sequeretur, quòd illud præsuppositum non esset causatum ab ipso. Oportet autè supra, quòd nihil potest esse in entibus, quòd non sit à quo procedit. Deo, qui est causa vniuersalis totius esse. Vnde necesse est.

4. 1. 1. 2.

est

est dicere, quod Deus ex nihilo res in esse produxit. A in questione precedente a. primo, & secundo

q. preced. art. 2.

Ad Primum ergo dicendum, quod antiqui Philosophi, sicut supra dictum est, non considerauerunt, nisi emanationem effectuum particularium a causis particularibus, quas necesse est presupponere aliquid in sua actione. Et secundum hoc erat eorum communis opinio, ex nihilo nihil fieri. Sed tamen hoc locum non habet in prima emanatione ab vniuersali rerum principio.

Ad secundum dicendum, quod creatio non est mutatio, nisi secundum modum intelligendi tantum. Nam de ratione mutationis est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius. Nam quandoq, est idem ens actualiter, se habens nunc & prius, sicut in motibus secundum quantitatem, & qualitatem. Quandoq, vero est idem ens in potentia tantum, sicut in mutatione secundum substantiam, cuius est subiectum materia, sed in creatione (per quam producit tota substantia rerum) non potest accipi aliquid idem aliter se habens nunc & prius, nisi secundum intellectum tantum: sicut si intelligatur aliqua res prius non fuisse totaliter, & postea esse.

D. 34.

Sed cum d actio, & passio conueniant in substantia motus, & differant solum secundum habitudines diuersas, ut dicitur in tertio Physicorum, oportet, quod subtrahendo motu, non remaneant nisi diuersae habitudines in creatio, & creatio. Sed quia modus significandi sequitur modum intelligendi, ut dictum est, creatio significatur per modum mutationis. Et propter hoc dicitur, quod creare est ex nihilo aliquid facere, quamuis facere, & fieri magis in hoc conueniant, quam mutare, & mutari: quia facere, & fieri important habitudinem causae ad effectum, & effectus ad causam: sed mutationem ex consequenti.

Lib. 3. Phys. text. 20. 21. 10. 2.

Ad tertium dicendum, quod in his, quae sunt sine motu, similiter est fieri, & factum esse, siue talis factio sit terminus motus, sicut illuminatio: (nam simul aliquid illuminatur, & illuminatum est, e) siue non sit terminus motus, sicut simul formatur verbum in corde, & formatum est. Et in his, quod fit, est cum dicitur fieri. Sed significatur ab alio esse, & prius non fuisse. Vnde, cum creatio sit sine motu, simul aliquid creatur, & creatum est.

274.

Ad quartum dicendum, quod obiectio illa procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquid infinitum medium inter nihilum, & ens. Quod patet esse falsum. Procedit autem falsa haec imaginatio ex eo, quod creatio significatur ut quaedam mutatio inter duos terminos existens.

Forma Textus.

CONCL. est. Non solum non est impossibile a Deo aliquid creari, sed necesse est ponere a Deo omnia creata esse. Probatur. Si Deus non ageret nisi ex aliquo praesupposito; sequeretur, quod illud praesuppositum non esset causatum ab ipso; at nihil potest esse in entibus, quod non sit a Deo; ergo necesse est dicere, quod Deus ex nihilo res in esse produxit. Sequela maioris probatur. Quicumque facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit praesupponitur actioni eius; ergo, si Deus non ageret nisi. &c. Antecedens probatur ex artificialibus & naturalibus. Nam artifex operatur ex rebus naturalibus, ut ex ligno & aere, quae per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturae; & rursus, ipsa natura causat res naturales quantum ad formam, sed praesupponit materiam. Minor autem probatur; quia Deus est causa vniuersalis totius esse; ergo nihil potest esse in entibus, quod non sit a Deo. Antecedens probatum est

Expositio Textus.

ADVERTE conclusionis sensum esse omnia a Deo esse creata, id est producta ex nihilo immediate vel mediate, ut hic explicat Ban. & post eum Mol. & Val. additis pluribus sacrarum litterarum & SS. Patrum dictis: ac praesertim August. qui lib. primo de Genesi contra Manichaeos cap. 6. sic loquitur: Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse; quia etsi omnia formata de ista materia facta sunt, hac ipsa tamen materia de omnino nihilo facta est.

Secundum circa responsum ad secundum vide, quae diximus supra q. 25. art. 1. controu. vniuersa, ad argumenta Ferrar. ex hoc loco nitentis probare actionem non esse in agente, sed in passio.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum creatio sit aliquid in creatura.

AD Tertium sic proceditur Videtur, quod creatio non sit aliquid in creatura. Sicut enim creatio non sit accepta attribuitur creaturae, ita creatio non sit accepta attribuitur creatori: sed creatio actiue accepta non est aliquid in creatore. Quia si sic, sequeretur, quod in Deo esset aliquid temporale. Ergo creatio passiuè accepta non est aliquid in creatura.

240. 1. dist. 40. q. 1. ad 1. Et po. q. 3. 2. 3.

2 Præterea. Nihil est medium inter creatorem, & creaturam. Sed creatio significatur ut medium inter vtrumq, Non enim est creator (cum non sit aeterna) neq, creatura: quia oportet eadem ratione aliam ponere creationem, qua ipsa crearetur, & sic infinitum. Creatio ergo non est aliquid.

3 Præterea. Si creatio est aliquid præter substantiam creatam, oportet, quod sit accidens eius. Omne autem accidens est in subiecto. Ergo res creata esset subiectum creationis: & sic idem est subiectum creationis, & terminus. e Quod est impossibile: quia subiectum prius est accidente, & conseruat accidens.

229 f

D Terminus autem posterius est actione, & passione, cuius est terminus: & eo existente cessat actio, & passio: igitur ipsa creatio non est aliqua res.

Sed contra. Manus est fieri aliquid secundum totam substantiam, quam secundum formam substantialem, vel accidentalem. Sed generatio simpliciter, vel secundum quid, qua fit aliquid secundum formam substantialem, vel accidentalem, est aliquid in generato. Ergo multo magis creatio, qua fit aliquid secundum totam substantiam, est aliquid in creato.

44.

Respondeo. Dicendum, quod creatio non ponit aliquid in creato secundum relationem tantum, quia quod creatur, non fit per motum, vel per mutationem. Quod enim fit per motum, vel mutationem, fit ex aliquo praesistente. Quod quidem contingit in productionibus particularibus aliquorum entium. Non autem potest hoc contingere in productione totius esse a causa vniuersali omnium entium, quae est Deus. Vnde Deus creando producit res sine motu. Subtrahendo autem motu ab actione, & passione, nihil remanet nisi relatio, ut dictum est. Vnde relinquatur, quod creatio in creatura non fit, nisi relatio quaedam ad creatorem, ut ad principium sui esse: sicut in passione, quae est cum motu, importatur relatio ad principium motus.

D. 24.

Art. præ. ad 2.

Ad Primum ergo dicendum, quod creatio actiue significata, significat actionem diuinam, quae est eius essentia cum relatione ad creaturam. Sed relatio

78

*tio in Deo ad creaturam non est realis, sed secundum rationem tantum. Relatio verò creaturæ ad Deum est relatio realis, ut supra dictum est, * cum de diuino nomine ageretur.*

*Ad Secundum dicendum, quòd quia creatio significatur ut mutatio, sicut dictum est. * mutatio autem media quodammodo est inter mouens, & motum: idè etiam creatio significatur ut media inter creatorem, & creaturam. Tamen creatio passiuè accepta est in creatura, & est creatura. Neg, tamen oportet, quòd alia creatione creetur. Quia relationes (cum hoc ipsum, quòd sunt ad aliquid dicantur) non referuntur per aliquas alias relationes, sed per seipsas, sicut etiam supra dictum est, * cum de equalitate personarum ageretur.*

Art. 7. ad 4.

Ad Tertium dicendum, quòd creationis, secundum quòd significatur ut mutatio, creatura est terminus, sed secundum quòd verè est relatio, creatura est eius subiectum, & prius ea in esse, sicut subiectum accidente. Sed habet quandam rationem prioritatis ex parte obiecti, ad quòd dicitur, quòd est principium creaturæ. Neg, tamen oportet, quòd quamdiu creatura fit, dicatur creari: quia creatio importat habitudinè creaturæ ad creatorem, cum quadam nouitate, seu inceptio.

Sensus quaesiti.

QVAESTIO est de creatione passiuè sumpta, & de esse aliquid reale, siuè absolutum, siuè relatiuum ab ipsa creatura distinctum, ut patet ex modo & forma conclusionis, qua respondet quaesito, & ex argumentis quæ militat pro negatiua.

Forma Textus.

CONCL. est. Creatio non ponit aliquid in creatura nisi relationem tantum. Probatur. Deus creando produxit res sine motu; ergo creatio in creatura non est nisi relatio quædam ad creatorem, ut ad principium sui esse. Antecedens probatur: Quod fit per motum, vel mutationem, fit ex aliquo præexistenti, sed fieri ex aliquo præexistenti quamuis contingat in productionibus particularibus aliquorum entium, non tamen potest contingere in productione totius esse à causa vniuersali omnium entium, quæ Deus est; ergo Deus creando producit res sine motu. Consequentia vero probatur: quia subtracto motu ab actione & passione, non remanet nisi relatio, ut dictum est articulo præcedente ad secundum.

Expositio Textus.

QUARE subtracto motu ab actione & passione remaneat sola relatio S. D. ostendit in q. 3. de potent. art. 3. ubi etiam latius explicantur tres hic allatæ responsiones ad argumenta.

Ex responsione ad tertium præsentis articuli iuncta responsioni ad tertium prædicti articuli tertij q. 3. de potentia Dei, collige duplicem distinctionem & responsionem formalem ad argumentum. Prima distinctio est. Relatio, quæ est passiuæ creatio dupliciter potest considerari. Vno modo, quatenus significatur ut mutatio: Alio modo prout verè est relatio. Secunda distinctio est. Relatio hæc, quæ est passiuæ creatio, dupliciter potest considerari. Primò, quo ad esse quo inhæret subiecto ut eius accidens: Secundò quo ad

A eius rationem, qua respicit obiectum, siue terminum, ad quòd dicitur, quòd est principium creaturæ, prout scilicet ex actione agentis innascitur dicta relatio. Responsio verò ad argumentum tria dicit. Primum. Creatio, prout significatur ut mutatio, creatura est terminus ea posterior. Secundum. Relatio quo ad esse suum considerata, prout inhæret subiecto, posterior est re creata. Probatur; quia accidens posterior est subiecto, intellectu & natura. Tertium. Relatio, quo ad eius rationem qua respicit &c. quadam ratione prior est subiecto. Probatur; quia sic innascitur ex ipsa actione diuina, ut à causa proxima: actio

B diuina prior est termino creationis, quòd est subiectum dictæ relationis; ergo & ipsa relatio eodem subiecto prior est. Vis huius rationis in hoc consistit, & quòd relatio, quæ creatio passiuæ est, prout ad principium dicitur creaturæ, & ex eiusdem innascitur operatione, & non ex principij subiecti, ex parte agentis, & eius actionis se tenet, & quasi vnum cum ea computatur in ordine ad effectum, siue terminum creatione productum: sicque relatio illa, quæ passiuæ creatio est, iam non mera relatio est, sed modum & vim habet actionis Physicæ siuè emanationis, seclusa tantum ratione mutationis: ac proinde secundum hanc rationem præcedere dicitur subiectum suum: non ea tamen ratione, qua subiectum est (sic enim eo posterior est) sed ea ratione qua terminus est creatione productus, vel etiam qua ratione respicit hæc relatio principium creaturæ.

Secundò, ex eadem responsione, iuncta responsioni ad sextum dicti art. de pot. collige quatuor dicta. Primò. Nec oportet, ut creatura quamdiu est, dicatur creari. Probatur; quia creatio importat habitudinem creaturæ ad creatorem cum quadam nouitate seu inceptio. Secundum. Non esset inconueniens dicere creaturam, quamdiu habet esse, fieri siuè creari à Deo. Probatur ex August. lib. 8. super Gen. ad litteram cap. 10. & 12. & lib. 2. cap. 12. & explicatur exemplo aeris à Sole illuminati. Nam quamdiu lucet aer illuminatur à Sole, ergo similiter creatura quamdiu habet esse creatur à Deo. Tertium est. Nulla differentia est inter primum & secundum dictum, nisi secundum nomen, prout nomen creationis potest accipi cum nouitate vel sine. Vltimum dictum est. Creatura semper refertur ad Deum, quòd intelligendum est de creatura formaliter, ut creatura est, & de Deo ut creator est; hæc enim relatio non exigit in creatura nouitatem essendi, sed in totali à Deo dependentia fundamentum habet.

PRIMA CONTROVERSIA.

An creatio actiua sit in Deo ut actio transiens, aut immanens?

MOL. tria dicit. Primum. Creatio est actio transiens, quæ neque est velle diuinum, quo tanquam principio efficiente Deus producit res, neque respectus rationis eiusdem principij efficientis ad res productas. Secundum. Creatio non est mutatio proprie loquendo, sed est influxus realis & absolutus, quo creaturæ ex tempore emanant à Deo: qui influxus

realem habet identitatem cum creaturis pro- A ductis, & ab eis formaliter distinguitur. *Tertium*. Hic influxus vt est Dei, per eum tanquā per actionem conferentis esse rebus creatis, est actio vera de prädicamento actionis existens in creaturis ipsis tanquam in subiecto, denomināsq; Deum ex tempore denominatione extrinseca createm & producentem creaturas: & idem influxus, vt eo creaturæ recipiunt esse, passiuèque producuntur in rerum natura, est vera passio de prädicamento passionis, distincta formaliter à creatione actiua, & à termino producto, nempe à creatura.

Suar. *disp. 20. Metaph.* dicit duo. *Primum*. Creatio actiuè est dependentia creaturæ, vt dicit habitudinem ad diuinam potentiam, à qua fluit, seu quatenus est quidam fluxus à Deo. *Secundum*. Hæc dependentia creaturæ à Deo est aliquid realiter & intrinsecè existens in creatura, non omninò idem quod creatura, quæ est terminus illius dependentiæ: sed est modus quidam ex natura rei distinctus ab ipso termino.

Valentia duo dicit. *Primum*. Si creatio accipiatur actiuè, sic in primis creatio est ipsa essentia & intellectio ac volitio diuina per quam Deus creat: quæ tametsi quo ad entitatem suā non possit non esse, atque adeò sit necessaria, tamen, cum sit infinita, habet perfectionem, vt ex ipsa immutata possit procedere creatura, & non procedere, & eatenus creaturarum productio est libera. *Secundum*. Creatio actiuè potest etiam dici effectus creatus, vt à Deo procedit, atque adeò ipsa creatura vt à Deo procedens, quo pacto creatio est etiam operatio transiens. Nec tamen sic creatio est aliquid consideratum vt in creatura, sed vt aliquid à Deo existens.

Vasq; *hic, & supra in notacionibus ad primum a. q. 41.* tria dicit. *Primum* est. Creatio actio nō est velle Dei, nec intelligere, sed est relatio in re creata, à qua relatione Deus nominatur agens extrinseca denominatione ab origine actiua in ipso existente. *Secundum*. Creatio concepta vt actio est medius actus & via inter creatorem & creaturam: sicut in diuinis est origo. Et quamuis sit pura relatio, ea tamen consideratur veluti in fieri & via, & non sicut in facto esse: atque ideò tanquam actus medius debet constitui. *Tertium*. Nullum absolutum per modum realis influxus est de ratione creationis.

Capr. *in 2. dist. 1. q. 2. a. 3. ad argumenta Aur.* dicit quinque. *Primum*. Actio Dei non est aliud quàm eius velle & intelligere: nec aliqua eius actio exterior ponenda est, qua dicatur formaliter agens, nisi dicatur respectus eius ad creaturam, vel creaturæ ad ipsum. *Secundum ibidem ad secundum Aureoli*. Illud velle diuinum, quod dicimus actionem creatiuam, est velle imperij, & executio voliti & imperati: Nec ibi differt executio ab imperio, nisi pro quanto executio vltra diuinum velle includit respectum ad effectum temporalem in actu. *Tertium ibidem ad tertium*. Illud diuinum velle, quod ponitur actiua creatio, non determinatur ex natura rei plus ad hoc volitum creatum, quàm ad suum oppositum, sed Deus ordine suæ sapientiæ liberè se determinauit ab æterno ad hoc volendum & non illud. *Quartum ibidem ad quartum*. Licet diuinum velle sit actiua creatio, non tamen ab æterno fuit actiua creatio: Et infra ad septimum ait sumendo agere vel operari,

prout distinguuntur contra facere, conceditur, quòd ab æterno Deus operatur & agit. *Quintum ibidem ad sextum*. Nulla diuina operatio aut actio, qua formaliter agit aut operatur, est transiens in passum, sic quod in passo formaliter recipiatur: sed concedi potest, quòd diuina actio dicitur quandoque transiens propter respectum rationis ad realem effectum in creatura: sicut creatio, conseruatio & huiusmodi, quæ dicunt diuinam actionem, cum respectu ad creaturas in propria natura terminatam.

Ferrar. *in 2. cont. gent. cap. 16. ratione 6.* ait actionem transeuntem dupliciter sumi posse. Vno modo secundum rem & secundum eius propriam rationem: & sic est (inquit) motus essentialiter, & connotat respectum in agente. Alio modo secundum quandam similitudinē, & modum significandi: & sic dicit aliquid in agente remanens, quod significatur vt in aliud transiens, in quantum per ipsum aliquid ab agente distinctum producitur in esse. Sicut si velle nostrum esset secundum se rerum productiuum, adeò vt ipsum velle esset ipsum producere res, esset secundum rei veritatem actio immanens, quia esset idem omnino, quod velle; tamen significaretur per modum in alterum transeuntis. Actio ergo diuina qua res in esse producuntur, cum non sit aliud quàm ipsum velle diuinum, & ipsa Dei substantia, quæ à genere motus est omninò separata, non est actio transiens secundum rei veritatem, sed actio immanens, quæ est velle & intelligere; secundum enim quod Deus intelligit & vult, ita res in esse procedunt absque vlla media actione & motu. Sed habet aliquam similitudinem cum actione transeunte, in quantum per ipsam aliquis effectus in creaturis relinquitur: & ideò à nobis significatur per modum actionis transeuntis in aliud, cum dicitur Deus producit aut creat res. Vnde potest dici actio transiens productiuè, quia habet terminum extrinsecum productum, non autem subiectiuè, quod est propriè esse actionem transeuntem; quia non recipitur in aliquo extrinseco subiecto, sed remanet in agente. Hæc ibi Ferrarientis.

Bannes dicit tria. *Primum*. Creatio non est actio transiens habēs esse subiectiuè in creatura, & in vniuersum nulla reperitur actio transiens Dei, quæ in creatura subiectetur. *Secundum*. Creatio non est actio transiens Dei identificata cum potentia Dei. *Tertium*. Creatio essentialiter & formaliter est actio Dei immanens, habet tamen modum actionis transeuntis, & potest cum proprietate appellari actio virtualiter transiens. Eandem sententiam & modum dicendi sequitur Zumel. *in d. cto art. 3. q. 65.*

Cai. *suprà q. 25. a. 1.* affirmat de mente D. Thom. posse Deo tribui dupliciter actionem transeuntem; Vno modo formaliter, & sic est idem quod substantia diuina. Sed actio sic sumpta dupliciter potest considerari, vt inquit idem expositor *in quest. seq. art. 1. circa respons. ad 10.* Primò secundum id quod in agente ponit actio, quatenus actio, & sic actio est in Deo ab æterno. Secundò, vt infert ex se passionē vel effectum: & hoc modo non est actu ab æterno: & ideò non dicitur Deus creasse mundum ab æterno, nec modo creare animam Antichristi. Alio modo tribui Deo potest actio transiens virtualiter, siue secundum efficaciam, adeò

deò vt actio fit formaliter immanens habes tamen efficaciam transeuntis illis verbis significatam, *Dixit & facta sunt.*

D. Th. *hic ad 1.* ait creationem actiue significare actione diuinam, quæ est eius essentia, cū relatione ad creaturam.

Resolutio.
Distingui-
tur actio-
nis nomē in qua-
tuor signifi-
cata, & o-
stenditur a-
ctionem Dei
transeuntem
esse in Deo
formaliter
idem, quod
actus impe-
rij.

AD PROPOSITAE controuersia definitionem
recolenda primò sunt ea, quæ supra notauimus q.
25. a. primo pro defensione sententiæ Caiet. &
aliorum quorundam Thomistarum asseren-
tium de mente D. Thom. actionem transeun-
tem essentialiter sumptam esse in agente. Vbi
diximus sumi posse quatuor modis actionem
in via D. Thom. scilicet antecedenter, essen-
tialiter, concomitantem & formaliter: Et actio-
nem essentialiter sumptam esse actualitatem &
perfectionem agentis, & actum eius secundum,
quo formaliter & intrinsecè vt propria causalita-
tate dicitur agens, & hæc propriè nuncupatur
actio Metaph. ad hanc enim scientiam propriè
pertinet eius notitia. Actionem autem conco-
mitanter diximus esse motum aut emanatione,
aut rem vel formam fluentem: & hæc est & di-
citur actio essentialiter apud Physicum: & ita
quandoque sumitur etiam à Metaph. & à D.
Thom. nonnunquam in Theologia, vt ibidem
aduertimus. Ostendimus autem in dicta con-
trouersia pluribus argumentis, & dictis A. no-
stri D. actionem essentialiter ac Metaph. sum-
ptam, esse perfectionem agentis intrinsecam &
absolutam: & eorum qui sententiam tuerentur
oppositam, responsa confutauimus & argu-
menta dissoluimus: & ea præsertim, quæ de a-
ctione diuina procedebant.

Concordia
Thomista-
rum.

Deinde huic absoluenda difficultati maximè ne-
cessaria sunt ea, quæ supra q. 14. art. 8. in secunda
controuersia diximus de identitate & modo di-
stinctionis actuum diuini intellectus practici,
voluntatis & potentia; ex eis enim benè per-
spicimus apparebit nullum esse in rei veritate dis-
crimen inter sententiam Cai. & Capr. & aliorū
Thomistarum in re præsentem: quamuis Ferrar.
& alij post eum opinentur, ac profiteantur se
contradicere Cai. Vt enim ibi notauimus ex
D. Thom. in quol. 6. a. 2. omnis actio rei cu-
iusque simplicis est secundum proprietatem,
ac modum naturæ illius: ac proinde omnis a-
ctio Dei & Angeli, quorum simplex est &
intellectualis natura, est secundum intelle-
ctum à voluntate motum, quæ inclinatio
est naturæ intellectualis, sequens formam in-
tellectuam: atque ideò Deus & Angelus agunt
per suæ voluntatis imperium. Itaque forma-
liter & Metaphysicè loquendo, id est secundū
modum quo substantijs intellectualibus à ma-
teria separatis, vt à materialibus ac sensibilibus
distinguantur, congruit intelligentia nostra,
non sunt in Angelo & multò minus in Deo di-
stincti formaliter actus imperatiuæ volunta-
tis, & actus executiuæ potentia; sicut nec ibi
formaliter distinguuntur voluntas & execu-
tiuæ potentia. Et quoniam actus imperij, qui
simpliciter & propriè loquendo est actus in-
tellectus & scientiæ practicæ, includit actum
voluntatis & executiuæ potentia; ideò actus
imperij ipsa est essentialiter actio diuina, vel
Angelica transeuntis, quæ in Deo perfectio est
in finita, & eius substantia: in Angelo verò per-
fectio & actualitas accidentalis. Sed quia ra-
tio motiua conuenit voluntati, propter quod
ei nonnunquam tribuitur actus imperij, scilicet
loco superius allegato, & alibi vim & rationem
executiua; potentia; tribuit voluntati: cum ta-

men actus imperij, qui simpliciter est actus in-
tellectus, sit proximè & immediatè producti-
uus, vt ibidem ostendimus. Est igitur actio
transeuntis in Deo formaliter idem quod actus
imperij, per ea verba significatus Gen. 1. Dixit
Deus fiat lux. &c. Quomodo verò sit actio tran-
seuntis, cum non recipiatur in passo, vel in re fa-
cta, sed in Deo maneat vt eius substantia & in-
finita perfectio, declarat Capr. dicens ad 6. Au-
reoli concedi posse diuinam actionem dici quæ-
doque transeuntem, propter respectum ratio-
nis ad realem effectum in creatura: sicut crea-
tio & conseruatio, quæ dicunt diuinam actio-
nem cum respectu ad creaturam in propria na-
tura terminatum, vt hic etiam significat S. Th.
ad primum. Quod tamen non ita intelligendum
est, quasi per respectum rationis formaliter
constituatur actio in Deo transeuntis: cum nul-
lo intellectu considerante creatio sit verè &
propriè transeuntis, sed ad solū modum nostrum
conciipiendi pertinet ea relatio rationis. Ad cu-
ius euidentiā.

Tertio considerandum est actionem essentiali-
ter ac Metaphysicè sumptam, non ideò dici tra-
seuntem, quia secundum seipsam formaliter
transeat in passum, vel effectum actione pro-
ductum, veluti effluxus ab agente in passum,
aut rem ab ipso agente productam; id enim
propriū est actionis Physicè sumptæ, quæ
dicitur actio concomitans: Sed dicitur actio
Metaphysicè transeuntis, eo quòd effectum ha-
beat suè terminum, non in ipsius agentis
operatiua potentia, sed extra productum.
Hanc enim supra quest. 27. art. 1. diximus esse
differentiam inter actiones immanentes & tra-
seuntes, quòd per illas nihil ad extra produci-
tur, harum verò terminus est aliquid ad extra
productum. Sed hoc interest inter actionem
Dei & creaturæ, quòd hæc essentialiter ordi-
natur ad passum, vt ad finem proximum; est
enim vt ait Cai. supra q. 25. art. 1. propter per-
ficiendum passum: sed talem ordinem non ha-
bet actio Dei ad creaturam, sed potius è con-
tra, res actione diuina producta ad actionem i-
psam, quæ Dei substantia est, ordinem habet:
cum ab ea tota dependeat in fieri & conseruari:
ac proinde res qualibet à Deo creata relatione
reali refertur ad ipsam & ad eius operationem:
cui relationi necesse est, vt ex parte Dei & a-
ctionis eius, altera quædam intelligatur rela-
tio correspondens; quæ, cum realis non sit, ef-
fe relationis formale tantum habet, quòd à no-
bis conceptum rationis esse dicitur; quamuis,
modo quodam superius expresso quest. 13. art.
7. ea relatio sit nullo intellectu considerante,
& ei congruat esse reale, non propria sed alie-
na realitate. Est igitur in Deo verè & realiter
actio transeuntis, sicut verè & realiter Deus crea-
tor est & prima rerum omnium causa; & verè
ac realiter res emanant & conseruantur à Deo:
quamuis ipsa diuina actio, quæ Dei substantia
est, & infinita perfectio, secundum seipsam nò
effluat à Deo in creaturam, vt fiat eius perfectio
formaliter; id enim propriū est actionis Phys-
icæ, quæ longè distat à celsitudine actionis
Metaphysicæ, & per Analogiā ad eam dicitur
actio: licet illa primò, vt prius ac magis nota,
fuerit actio nuncupata.

Et ex his sequitur nullam esse nisi verborum
aut modi loquendi diuersitatem inter Capr. Consiantur
Cai. & Ferrar. ac alios Thomistas negantes a-
ctionem in Deo formaliter transeuntem. Nam
hoc ipso, quòd actum diuinæ voluntatis & im-
perij

Offenditur
actionem di-
uinam essen-
tialiter sum-
ptam esse for-
maliter tra-
seuntē: &
conuenitur
sententiæ Tho-
mistarum.

Consiantur
Thomista-

perij ad producendum asserunt efficacem, rationem illi tribuunt actionis formaliter transeuntis, quæ per hoc, ut diximus discriminatur ab immanenti, quod per hanc nihil omnino, per illam verò semper aliquid efficitur ad extra. Sed quia velle diuinum, & intelligere, tam ex suo genere, quam ex obiecto per se primo, quod est essentia ut prima bonitas & veritas, non habent ut extra producant, sed ut sic actiones tantum formaliter sunt immanentes: vim autem productiuam habent in ordine ad obiecta secundaria siue terminos, qui sunt creaturæ idcirco negant absolute Capr. & alij actionem in Deo formaliter transeuntem, affirmant autem formaliter immanetem, quæ virtutem habeat & efficacitatem transeuntis. Verum, si eadem intellectus & voluntatis actio sumatur, ut rationem & modum habet imperij, productio ipsa est actio diuina formaliter transeuntis, ut Caiet. affirmat: atque idem S. D. in dicto art. 1. q. 25. in responsionibus ad argumenta dupliciter ait à nobis actiuam in Deo concipi posse potentiam; Vno modo, ut principium executiuum eius quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit, ab eis ratione distinctum. Alio modo, ut idem sit quod ipsa diuina scientia vel voluntas, quatenus principium est rerum effectiuum. Iuxta priorem dicendi modum statuitur actio transeuntis in Deo formaliter: secundum alterum verò dicendi modum in Deo non ponitur eadem actio nisi virtualiter, ut ibidem aduertit Caiet. sic enim consideratur actio intellectus, siue scientiæ & voluntatis, ut secundario tantum respicientes creaturam; priori verò modo consideratur actio diuina potentie, ut ad creaturam veluti possibilem per se primo relata, quomodo rationem habet actionis formaliter transeuntis.

Actiōnem Dei transeuntem non solum materialiter, sed etiam formaliter ut actio est esse in Deo ab æterno, non tamen ut passio, vel effectus infero.

Quarto sciendum est actionem Dei transeuntem dupliciter sumi posse. Vno modo materialiter: & sic idem est quod essentia diuina, & Deo conuenit ab æterno. Alio modo formaliter, quatenus scilicet actio est: cuius tñ est duplex consideratio; Vna secundum eam rationem, qua in Deo agere est, ut eius actualitas & summa perfectio: & sic etiam actu in Deo est ab æterno; alioquin esset ab æterno Deus agens in potentia tantum, & ei ex productione creaturarum in tempore fieret non exigue perfectionis accessio: Altera secundum eam rationem, qua passioem infert ex se vel effectum: & sic actu non est ab æterno; cum nihil sit à Deo productum ab æterno: est tamen illatio passionis vel effectus ab æterno, in actiuam Dei potentia, quod est esse aut contineri virtualiter in ea, non formaliter, ut notat Cai. q. in immediatè seq. a. 1.

Dubitatio & solutio.

Cur autem ex actione Dei æterna formaliter in actu, prout est diuina perfectio, non sequatur effectus ab æterno: declarat S. D. in art. predicto ad ult. his verbis. *Postea actione sequitur effectus secundum exigentiam formæ, quæ est principium actionis. In agentibus autem per voluntatem, quod conceptum est & prædeterminatum, accipitur ut forma, quæ est principium actionis. Ex actione igitur Dei æterna non sequitur effectus æternus, sed quale Deus voluit, ut scilicet haberet esse post non esse.* Hæc ibi. Quæ latius explicat idem S. D. de pot. q. 3. a. 17. & melius in secundo cont. gent. ca. 35. & ibi Ferrar. post Cap. loc. superius allegato ad primū Aureoli, contra primam concl. ubi totam hanc materiam vberissime versat, & illustrat mirifice diluè subtiliter prædicti authoris sophismata. Vide etiam quæ de hac difficultate scribit Ban. dub. 1. in resp. Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

ad 4. suum argum. ex D. Th. & Capr. Est igitur ab æterno creatio actiuam in Deo actio formaliter transeuntis, ad quam non ab æterno, sed in tempore sequitur effectus, iuxta modum & præfinitionem diuinæ sapientiæ & voluntatis.

PRIMA CONCL. *Creatio actio non est influxus realis & absolutus, quo creatura ex tempore emanant à Deo, qui sit idem realiter quod creatura producta, & ab ea solum formaliter distinguatur.* Probatur primò; quia creatio actiuam est realiter essentia Dei, cui repugnat identitas cum creatura. Secundo; quoniam, ut ait S. Th. supra q. 47. a. 1. ad 2. ablato motu, nihil aliud est actio, quam ordo originis secundum quod à causa aliquavel principio procedit, id quod est à principio: quauis quia modus significandi sequitur modum mutationis, ut dicitur in articulo precedente ad 2. Igitur actiuam creatio non est absolutus influxus, qui sit idem realiter quod creatura.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

SECUNDA CONCL. *Creatio actiuam non est relatio creata, quæ Deum extrinsecè denominet agentem.* Probatur; quia actio essentialiter est agētis intrinseca perfectio ergo nō est relatio extrinsecè denominans. Secundo; quia illa relatio est passiuam, creatio formaliter; ergo non est formaliter creatio ut actio. Probatur sequela; quia formaliter distinguuntur actio & passio. Antecedens autem patebit in sequenti controuersia.

TERTIA CONCL. *Creatio concepta ut actio non est medius actus ut via inter creatorem & creaturam, nisi secundum modum intelligendi & significandi.* Probatur primò, quia creatio actiuam est ipsa diuina essentia. Secundo; quia creatio, ut accipitur à Vasquezio, contra quem statuitur hæc conclusio, est realiter ipsa relatio creata existens in creatura; ergo se tenet ex parte creaturæ.

QUARTA CONCL. *In Deo est actio transeuntis formaliter, quæ dici potest actio essentialiter Metaphysicè.*

QUINTA CONCL. *Creatio actiuam est actio transeuntis in Deo existens idem cum eius substantia, ut eius insinita perfectio cum relatione rationis ad creaturam.* Hæc patet ex dictis, & habetur hic ex respons. ad 1. arg. & de pot. q. 3. a. 3. in c. & ad 2. & alibi.

SEXTA CONCL. *Probabilis est ea sententia, quæ docet creationem actiuam esse formaliter actionem Dei immanentem, sed habere modum actionis transeuntis.*

CONTRA primam concl. argument. Molina. Creatio actiuam non est velle & intelligere Dei, nec respectus rationis in Deo, nec relatio realis creaturæ ad Deum; ergo est influxus realis in creaturam, à quo Deus creans denominatur. Conseq. videtur euidenter ab enumeratione sufficienti. Antecedentis verò prima pars probatur primò; quia creatio est actio transeuntis; igitur est in passo; igitur nō est velle & intelligere Dei. Secundo; quia velle diuinum est id, quo tamen principio efficiente Deus creat & producit res; ergo non est ipsa creandi actio. Secunda verò pars probatur; quia ut dictum est, actio transeuntis est in passo, respectus verò rationis principij efficiētis ad res productas est in Deo: ideo ridiculum est asserere actionem creandi, per quam Deus formaliter res producit, & à qua formaliter dicitur creans, esse merum ens rationis. Tertia deniq; pars probatur; quia respectus eius, quod ab alio, & à quo aliud, qui inter

Obi 1. con. 1. con.

inter Deum & creaturas cernuntur, consequuntur creaturas productas, suntque posteriores illis in genere causæ efficientis: sed actio in genere causæ efficientis antecedit effectum, estque immediatior principio efficiendi, quam effectus per eam productus; ergo creandi actio & creatio passiva non sunt respectus illi. Secundò. Relatio effectus ad causam fundatur in actione, per quam Deus producit creaturas, ergo est posterior actione, per quam Deus producit res, & simul natura cum relatione causæ, quæ se tenet ex parte Dei; ergo relatio illa, nec est actio nec complet ratione actionis, per quam Deus producit res.

Resp. falsum esse antec. quoad primam partem. Ad primam probationem negatur prima consequentia, loquendo de actione transeunte Metaphysicè, sed sequitur tantum illam habere effectum realiter productum ad extra. Ad secundam probationem negatur antecedens formaliter loquendo; est enim velle diuinum ipsa Dei actiua productio. Ad reliquas probationes non est necesse respondere. *Aduerte tamen* respectum rationis ad creaturas secundum nos, nec esse actionem, neque actionis diuinæ complementum à parte rei, sed qua ratione tantum à nobis concipitur. Quomodo verò relatio realis in creatura sit passiva creatio, dicimus in seq. controuersia.

Contra eandem concl. argumentatur Suar. *Primò* In calefactione & omnibus similibus dependentia qua fit calor in passo, non alia ratione est actio caloris existentis in igne, nisi quia est fluxus quidam caloris ab illo emanans: sed dependentia, qua fit creatura ab ipso Deo, est fluxus quidam manans ab ipso Deo; ergo habet veram rationem actionis. *Resp.* falsam esse maiorem loquendo de actione Metaphysicè; est enim actio actus, & perfectio potentia, prius natura, quam fluxus ille.

Sed hanc respons. in simili sic arguit Suar. Nulla potentia actiua vt sic recipit complementum seu actualitatem ex actione, sed solum exercet suam actualitatem: hoc autem exercere non est se actuare, sed aliud in actum reducere, quod Deo etiam conuenit.

Probatur assumptum. Nam, quælibet potentia merè actiua, solum est extrinseca denominatio; potentia enim actiue actione immanente seipsas actuant, non tamen vt actiue tantum sunt, sed quatenus sunt etiam passiuæ.

Resp. assumptum esse falsum loquendo de actione Metaphysica. Ad eius probationem negatur assumptum. Ad cuius probationem dico potentiam actiuam vt actiua est seipsam actuare, si dictio vt specificet conditionem agentis creati: quamuis si eadem vox specificet rationem agendi, verum sit illud assumptum, vt etiam supra diximus in dicta controu. de actione transeunte, in responsione ad primum argumentum.

Secundò. Nihil obstat, quo minus hic fluxus creationis vt à Deo, habeat veram rationem actionis; ergo. Antecedens probatur. Nam vel obstat carentia subiecti. & hoc non; quia dependentia passiuæ præcedit rem factam, vt via, & tamen non inest subiecto; ergo similiter actiua potest præcedere, & non inesse alicui subiecto. Vel obstat perfectio diuinæ potentia, & hoc non: quia actio transiens non perficit potentiam à qua fluit, & præsertim diuinæ, quæ non est ex se ordinata ad actionem. Vel obstat mediatio inter effectum & potentiam, & hoc non; quia mediat etiam dependentia passiuæ, & hæc

mediatio prouenit ex limitatione & potentialitate ipsorum effectuum: ergo. *Resp.* oblatere solet. propriam rationem & quidditatem actionis, tã Metaphysicæ quam Physicæ: Nam actio Metaphysica est formalis perfectio & actualitas potentia: actio verò Physica, si propriè loquendum sit, mutatio quadam est, quæ præsupponit materiam: cuius defectu, nec ipsa creatio passiuè sumpta propriè passio est aut mutatio, sed modum solum habet passionis & mutationis, vt hic, & alibi saepe docet D. Th.

Sed contra hanc responsionem trahi potest argumentum hoc ex Suar. Ratio præcisæ actionis non includit motum neque mutationem, sed fluxum seu dependentiam cum transcendentali habitudine ad principium à quo fluit; ergo. *Resp.* falsum esse antec. de actione Physica loquendo, prout actio Physica distinguitur à Metaphysica, quæ est formalis perfectio potentia: Habebit quidem fluxus ille siue dependentia modum quandam actionis & passionis, non erit tñ actio & passio Physica verè & propriè, sed abusiue & æquiuoce ac impropriè; nec de nominibus hic expedit litigare.

Tertium eiusdem authoris argumentum ex supradictis perspicue soluitur.

CONTRA secundam concl. argumentatur Vasq. *Primò*. Quia D. Th. hic, & Caiet. & Ferrar. in 2. cont. gent. cap. 16. & 18. & Capr. in 2. dist. 1. q. 2. & alij Scholastici dicunt creationem nihil aliud esse secundum rem, quam relationem ipsam creaturæ pendens à creatore. *Resp.* D. Solus. Tho. & alios loqui de creatione passiuè sumpta, non autem prout est actio.

Secundò. Si actioni desit ratio motus & transmutationis, nihil aliud videtur superesse, quam pura relatio: nec alio modo nobis explicari aut intelligi potest, quam conceptu solius relationis; ergo est relatio. Antecedens est D. Th. supra q. 41. a. 1. Et confirmatur ex simili argumento D. Thom. in materia diuinarum originum, quo vitur in dicto a. ad 2. ad probandum diuinas origines esse meras relationes. *Resp.* antec. verum esse de sola actione concomitantem, siue Physicè sumpta, de qua loquitur ibi D. Th. vt ex ea veluti notissima ducat non in cognitione actionis Metaphysicæ, quæ fundamentum est illius relationis, quæ remanet in agente ablato motu.

Tertio. Quamuis actio, quæ ex genere suo non est motus, sit in agente, Deus tamen non est capax alicuius relationis ex tempore; ergo à creatione existente in creatura denominatur creans. *Resp.* argumentum hoc falsum supponere videlicet actionem transeuntem etiam Metaphysicè sumptam ablato motu nihil aliud esse, quam relationem: nos autem dicimus esse realem & absolutam agentis actualitatem, & perfectionem, quæ præcisè Physicæ actionis motu remanet in agente, cum relatione prædicta.

CONTRA tertiam argumentatur Vasq. ex simili modo concipiendi diuinam originem actiue & passiuè ad modum viæ, priusquam intelligatur relatio, & persona per eam constituta, concludens hunc ordinem ad solum nostrum modum concipiendi pertinere; quod gratis admittimus, cum D. Th. in dicto art. 1. q. 41.

CONTRA quartam concl. sunt argumenta superius soluta q. 25. art. 1.

CONTRA quintam concl. argumentatur Bañ. obi. 1. cont. & Zumell. *Primò*. Si creatio est actio transiens identificata cum essentia Dei, sequitur aliquam perfectionem Deo aduenire ex tempore; consequens

Solut.

Obi. 2.

Solut.

Replica

Solut.

Obiect. 3.

quens est fallum; ergo & antecedens. Probatur A sequela; quia creatio, quæ essentialiter est actio transiens, non potest esse, nisi quando transit in effectum ad extra; quia natura actionis transeuntis est, ut transeat in effectum extra potentiam; ergo, si creatio est essentialiter actio transiens, non est in Deo, nisi quando actu transit in creaturam ad extra. *Resp.* nullam esse conseq. Ad eius probationem dico primò actionem Dei essentialiter sumptam non transire formaliter in effectum ad extra; ac proinde, quoad id, quod ponit formaliter in agente, esse antequam actu producat effectum ad extra. Secundò dico naturam actionis transeuntis Metaphysicæ esse, ut effectum transeat in effectum ad extra, iuxta modum formæ, quæ principium est operationis, ut ait S. D. g. seq. ar. 1. ad ult. & 2. cont. gent. cap. 35. & idè in agentibus per voluntatem non sequitur effectum nisi secundum conceptionem & præfinitionem agentis: nec ex actione Dei æterna sequitur effectus æternus, sed quem Deus voluit, ut scilicet haberet esse, post non esse.

Sed hanc responsi. impugnat Zumel. Quoniam (inquit) non potest intellectus percipere, quòd actio sit in actu transiens, & quòd non sit terminus illius actionis, & quòd efficiens actu operetur, & nihil agat, præcipuè, cum nullum sit impedimentum, nec ex parte virtutis actiue, nec ex parte subiecti; virtus enim creatiua de nihilo producit rem. *Resp.* primò cum Capr. ad 4. Aureoli. & D. Tho. de potentia q. 3. art. 17. ad. 12. quod actio Dei est æterna; dicitur autem incipere agere ratione noui effectus qui ab æterna actione consequitur dispositionem volutatis qua intelligitur quasi actionis principium in ordine ad effectum. Hæc ibi D. Th. Et ibidem ad trigesimum: Ex parte (inquit) ipsius Dei facere non importat aliquid, quod sit aliud quam dicere: non enim actio Dei est accidens sed eius substantia: sed facere importat effectum actualiter existentem in propria natura, quod per dicere non importatur. Ex quibus deducit Capr. hanc non esse concedendam, Deus faciebat ab æterno; hanc verò concedi posse, Deus agebat ab æterno; quoniam agere, ut ait D. Th. in 3. dist. 35. q. 1. ad. 1. propriè loquendo est operatio à voluntate elicita vel imperata, in ipso operante consistens, non in materiam exteriorem transmutandam transiens, quia illa dicitur propriè facere. Secundò respondetur actionem Dei non esse ab æterno transeuntem, i. inferentem effectum; cū tñ oëm habeat actualitatem, quæ conuenit illi, ut est ab agente; Nec tamen sequitur effectus ab æterno: tum quia non dependet eius actualitas ab effectu: tñ quia Deus non est agens naturale, sed voluntariu, ad quod sequitur effectus iuxta modum formæ, quæ est agendi principium, ut ante diximus: Argumentum autem procedit de agente naturali.

Secundò. Siue creatio ab æterno, siue ex tempore conueniat Deo, sequitur ex illa quinta cõclusionè pefectionem aliquam Deo conuenire, quæ possit non conuenire, quod est falsissimum. Probatur sequela: quia creatio, quæ est actio transiens, potuit non competere Deo: sed creatio, iuxta hanc sententiam, est actio transiens identificata cum diuina essentia, estque pefectio ipsius Dei; ergo &c. *Resp.* nullam esse conseq. Ad probationem dico creationem, quæ est actio transiens, potuisse non competere Deo secundum eam rationem, qua infert ex se effectum, non autem secundum eam rationem, qua agentis pefectio, seu quo ad id, quod ponit in agente.

Contra eandem concl. sunt argumenta Aur. apud Capr. ab eo soluta.

CONTRA vltimam concl. sunt argumenta, quæ proferunt hic & soluunt Ban. & Zumel.

SECUNDA CONTROVERSA.

An creatio passiuæ si relatio realis in creatura, & qualis sit hæc relatio?

MOLINA cõsequenter loquens ad ea, quæ de creatione dixit prout actio est, affirmat creationem passiuè sumptam esse realem influxum absolutum absq; mutatione, & esse veram passionem de prædicamento passionis, distinctam formaliter à creatione actiua, & à termino producto, nempe à creatura: & hæc creationem esse creaturam, prout creatura dicitur etiam id quod concreatur.

Eandem sententiam sequitur Suarez *disp. 20. Met. sect. 5.* vbi ait dependentiam, de qua in precedenti controversia, non habere veram rationem mutationis aut passionis, habere tamen veram rationem viæ seu fieri creaturæ, & sic appellari creationem passiuam: & eandem habere etiam veram rationem emanations à Deo, & sic verè ac propriè dici posse actionem ipsius Dei formaliter transeuntem, quatenus scilicet ab ipso Deo est.

Vasquez dicit quatuor. *Primum.* Creatio nõ est quid absolutum præuium relationi producti in creatura. *Secundum.* Creatio est relatio realis creaturæ pendētis à creatore. *Tertium.* Relatio creationis non distinguitur realiter, neq; ex natura rei formaliter, sed ratione tantum à substantia creaturæ. *Quartum.* Hæc relatio non est in prædicamento.

Ban. hic tria dicit. *Primum.* Creatura duplici relatione reali refertur ad creatorem, scilicet transcendentali & prædicamentali. *Secundum.* Relatio transcendentalis creaturæ ad creatorem sola ratione distinguitur à creatura: prædicamentalis verò relatio differt realiter à creatura saltem formaliter. *Tertium.* Creatio passiuæ significatur per modum passionis & mutationis, non tamen est passio aut mutatio, sed sola relatio. Eandem ferè sententiam sequitur Zumel. *Inf. q. 65. ar. 3.* vbi tamen nihil meminit de relatione transcendentali.

D. Th. hic cuius mentem sequuntur, & explicant Capr. in secundo dist. 1. q. 2. Caiet. super hoc a. & Ferarri. in secundo cont. gent. cap. 18. affirmat creationem passiuè sumptam esse relationem realem in creatura, significatam ad modum mutationis, & ut media inter creatorem & creaturam: cum tamen non sit mutatio verè & realiter creatura. Eandem sententiam sequitur Valent. super hoc art.

SVPPONENDVM est in primis veluti certu, non solū in doctrina D. Th. sed etiā in opinione omnium scribentium Theologia, creationem siue sumatur actiue siue passiuè, non esse mutationem, nisi secundum modum nostrum concipiendi & significandi, ut hic affirmat S. D. & late probat in 2. cont. gent. cap. 17. & in 2. dist. 1. qu. 1. art. 2. & de pot. quæ. 3. art. 2. & in precedenti quæst. art. 2. ad 2. Vtitur autem S. D. in dicto cap. 17. hac ratione ibidem tertia, & de potentia, & in qu. præced. art. 2. In omni mutatione & motu oportet esse aliquid aliter se habens nunc quam prius: sed in creatione non potest esse aliquid idem aliter se habens nunc quam prius; ergo. Maior probatur: quia nomē

Sententiæ Doctorum.

Resolutio. Creationem non esse mutationem: cū propriè non habet commune subiectum, nec ibi sit actio, aut passio Dei Metaphysica & essentialis dependentia ex parte creaturæ.

mutationis hoc ipsum ostendit. Minor verò; quia ubi tota substantia rei in esse producitur, non potest esse aliquid idem aliter & aliter se habens; quia illud non esset productioni præsuppositum: Constat autem totam rei substantiam creatione produci.

Vbi aduerte cum D. Thom. *de pot. q. 3. a. 2.* & Ferrar. *super dicto capitulo* dupliciter intelligi posse in creatione esse aliquod commune subiectum aliter se habens nunc & prius: Vno modo propriè, & secundum rem: sicut in alteratione, argumento & loci mutatione inuenitur vnum commune subiectum actu existens, quod ex vno opposito mutatur in aliud: & hoc modo creatio non habet commune subiectum, vt adducta ratio demonstrat. *Alio modo* potest intelligi commune subiectum impropriè & secundum imaginationem tantum, cogitando in vniuersi creatione vnum commune tēpus veluti quoddam totum, constans ex imaginaria duratione, siue tempore mundo præconcepto, & reali tempore, quod simul cum vniuerso accepit initium: & vnam & eandem rem creatione productam concipiendo vt prius non habentem esse & post vt existentem actu: & hoc modo inuenitur in creatione commune subiectum aliter se habens nunc & prius; producitur enim in actu, quod prius non erat actu, sed in actiua solum Dei potentia, & eius practica scientia, ac præfinitione fuit ab æterno.

Obiectio.

Sed dices. Vna & eadem realis essentia rei, puta cœli vel hominis, prius non habuit esse in rerum natura, sed solum in intellectu Dei; igitur in qualibet re creata vnum est commune subiectum secundum rem, quod modo se habet aliter quàm prius. *Sed resp.* obiectionem hanc ex falsa imaginatione procedere; existimat enim arguens cœli vel hominis essentiam ex sui ratione esse simpliciter ens reale, aut per illud esse, quod habet in intellectu Dei, pertinere simpliciter ad ordinem entis realis; quod esse falsum latissimè demonstrauimus *suprà quæst. 3. art. 4. in prima controu.* Non est igitur essentia secundum rem commune subiectum in creatione, sed imaginatione tantum.

Replica.

Sed oppones dictum Arist. in 7. Phys. probantis generationem esse mutationem, quia per ipsam fit, quod non est: At per creationem fit magis, quod non est, quàm per generationem; ergo creatio est mutatio. Et præterea docet Auer. *7. Phy. tex. 20.* realem relationem non aduenire alicui nisi per mutationem: At verò creature aduenit realis ad Deum relatio per creationem. *Resp.* Arist. ibi supponere in omni rei generatione aliquid fieri ex præiacenti materia, in qua res generanda præexistit in potentia: atque ideo secundum Arist. in omni generatione fit id, quod non est actu, quod tamen erat in potentia in ipsa materia. Auerroes etiam loquitur de relatione adueniente rei iam in actu, aut in potentia materiæ præiacenti: relatio verò creature ad Deum nihil rei creandæ præsupponit existens actu, vel potentia. Et quoniam ubi non est mutatio, ibi nec est actio Physica neque actio Physicam quæ scilicet fit in passo, sed tantum Metaphysicam quæ est agentis perfectio: nec passionem vllam verè ac propriè dictam interuenire, vt scitè aduertit Capr. *in 2. dist. 1. q. 2. in probatione secunda concl.* vbi ex verbis D. Th. *suprà q. 41. art. 1. ad 2. & 3.* probat non omnem actionem ex se inferre passionem, sed eam tantum, quæ est cum motu aut mutatione.

Solut.

A Sic enim ait S. D. *ad 3. in dicto art.* Actio secundum quod importat originem motus infert ex se passionem, sic autem actio non est in diuinis personis, ideo nec ibi est passio: Hæc ibi. Actio verò, quæ est cum motu vel mutatione, non est aliud quàm motus vel mutatio, vt ibi notat Capr. licet actio dicat in obliquo relationem causæ ad effectum, scilicet relationem originis ipsius motus, quæ quidem relatio est in mouentes: Passio autem dicit eundem motum in recto, relationem autem ad causam motus in obliquo. Cum igitur actiua creatio sit sine motu & mutatione, sequitur in ea nullam esse actionem Physicam, & creationem passiuè significantam non esse verè ac propriè passionem, sed gramicè tantum, & secundum modum nostrum concipiendi & significandi. Nam si vna & eadē mutatio ob diuersos respectus ad ea necessario consequentes dicitur actio Physica & passio, & non potest inueniri passio sine mutatione, sequitur necessariò absq; Physica actione passionem nunquam esse, nec absque passione Physicam actionem esse posse: cum sine mutatione non sit actio Physica verè & propriè dicta, quæ est actio concomitanter distincta contra actionem Metaphysicam, quæ est agentis perfectio; hæc enim consequitur actionem Metaphysicam non quatenus aliquid efficit absolute, sed prout in subiectam agit materiam, illam accidentaliter vel substantialiter transmutando. Nam; vt res tota simul producatur ex nihilo, sola sufficit actio Metaphysica, quod est agētis infinitæ virtutis imperium, cui ex altera parte correspondet effectus, siue terminus cum essentiali dependentia, & relatione reali ad primum agens. Illa siquidem emanatio siue fluxus aut influxus aut fieri quod ibi interuenit vt instantaneū, ac simul cum factio esse, vt ait S. Th. *art. præced. ad 3.* nihil aliud est, aut significat secundum rem, quam id, quod ita producitur, ab alio esse & prius non fuisse, vt ibidem affirmat S. D. Hoc autem quod est rem ab alio esse, nihil aliud importat nisi dependentiam cum dicta negatione, si sermo sit de creatione cum nouitate essendi. Sed quia nouitas essendi nõ pertinet intrinsecè ad rationem creationis; cū potuerit mundus ab æterno creari, vt ait S. D. *q. seq. a. 2.* idcirco de ratione creationis vt sic, ex parte rei creatæ, non est nisi dependentia essentialis cum relatione ad creatorem. Dependere autem vt sic, siue esse ab alio essentialiter, non est agere aut pati, siue actio aut passio, nisi gramicè; alioquin conseruatio rerū passiuè sumpta esset verè ac propriè passio, quod non admittit Suarez. Sequela est euidentis; quoniam si mundus esset ab æterno creatus, sicut continuò conseruatur à Deo, ita continuò crearetur ob eandem omnino causam, quia scilicet ab æterno & semper eodem modo dependeret à Deo. Præterea certum est, posita illa essentiali dependentia ex parte rei creatæ, sufficere ex parte Dei actionem essentialiter, siue Metaphysicè dictam, quæ est eius imperium illis verbis expressum: *dixit & facta sunt;* non enim multiplicanda sunt entia sine necessitate. Chimericum igitur ac planè fictitium est existimare Deum medio quodam influxu, qui sit actio Physica, id est extra Deum & realiter à Deo distincta, à creatura verò formaliter, res simul totas ex nihilo produxisse.

Quod si dependentiam illam essentialem actionem Physicam esse contenderint, haud rectè loquentur; Nam dependentia idem est, quod

quod fieri, quod se tenet ex parte producti; igitur magis erit passio quā actio; passio verò non est vt etiam Suar. admittit; igitur nec actio est. Non est igitur præter actionem Dei, quæ est eius substantia & infinita virtutis imperium, actio quædam alia, quæ Deus non fit sed creatura, qua res producuntur asserenda.

Relationem
sue ordinis
transcenden-
talem habere
creaturam
ad creatorem,
& ex eo con-
sequi reale
relationem
interij modis.

Secundo obseruanda est differentia inter relationem transcendentalem & prædicamentalem, quam hic tradit Bannes, & nos paulò fufius explicauimus supra q. 13. a. 7. controuersia vnica. Et quoniam relatio transcendens fundamentum est relationis realis ad terminum eiusdem relationis, idcirco ad essentialē illam creaturæ dependentiam à Deo createante conferuante consequitur necessariò relatio realis prædicamentalis ad Deum ipsum creatorem & conferuorem, & pertinet hæc relatio ad tertium relatiuorum ordinem, quem statuit Arist. in 5. Metaph. in c. de ad aliquid, qui attenditur secundum rationem mensuræ & mensurati. Cuius naturam explicat S. D. de pot. q. 7. a. 10. dicens relationem realem consistere in ordine vnus rei ad aliam, atque idcirco in illis tantum mutuam realem relationem inueniri, in quibus ex vtraque parte est eadem ratio ordinis vnus ad alterum: sicut in omnibus relationibus consequentibus quantitatem; eiusdem enim rationis est quantitas in omnibus corporibus naturalibus. At in relationibus actionem & passionem, siue virtutem actiuam & passiuam consequentibus, non est semper mutuus ordo ex vtraque parte; necesse est enim vt id, quod rationem habet patientis, & moti vel causati, ordinem habeat ad agens siue mouens; quia semper effectus à causa perficitur, & ab ea dependet; sed agentia siue mouentia, vel etiam causæ, non semper habent ordinem ad patientia vel mota vel causata, sed ea tantum, quæ mota mouent, vel causant, vel quibus aliqua perfectio, siue bonum aduenit ex effectu; quæ verò nec mota mouent, nec eis bonum aliquod prouenit ex effectu, & quæ alterius ordinis sunt, & prorsus extrinseca ab illo genere actionum, vel virtutum quas consequitur talis ordo, ad hæc alia quidem ordinem habent, sed ipsa non ordinantur ad alia, vt patet in scientia & scibili, in sensu & sensibili, & alijs similibus prout ibi declarat vberimè S. D. Vbi concludens adiungit: *Deus autem non agit per actionem mediā, quæ intelligatur à Deo procedens, & in creaturam terminata, sed sua actio est sua substantia, & quicquid in ea est, est omnino extra genus creaturæ, per quod creatura refertur ad Deum: nec iterum aliquod bonum accessit creatori, ex creatura productione, vnde sua actio est maximè liber alia, vt auicenna dicit. Patet etiam quod non mouetur, ad hoc quod agat, sed absque omni sua mutatione mutabilia facit. Vnde relinquatur, quod in eo non est aliqua relatio realis ad creaturam, licet sit relatio creaturæ ad ipsum, vt effectus ad causam, hæc ibi.*

Nominè aut ordinis intelligit S. D. ordinem transcendentalem, quo vna res essentialiter ordinatur ad aliam, sicut scientia ad scibile, sensus ad sensibile, & imago ad id cuius est imago, & vniuersaliter omnis effectus ad causam, à qua intrinsecè dependet; alioquin si per ordinem intelligeret realem respectum de genere relationis, assumeret id quod intendit probare. Vult igitur S. D. in omnibus relatiuis tertij modi ordinem transcendentalem esse fundamentum ordinis siue relationis prædicamentalis, & consequenter etiam talem ordinem ad Deum in creatura esse fundamentum realis, ac prædicamentalis relationis eius ad Deum: hoc autem

est esse creaturæ, vt à Deo dependens, & vt concipitur ad modum passionis, & vt rationem habet mensurati in ordine ad Deum vt mensuram.

Aduerte præterea D. Th. negare Deum agere actione media, quæ intelligatur à Deo procedens, & in creaturam terminata, cuius oppositum affirmant absque legitimo fundamento Molina & Suarez.

Molina & Suarez. d. Eum reijciunt.

Tertio considerandum est, quod cum in re creata duo tantum sint ad rem propositam pertinentia, videlicet prædictus ordo transcendens siue essentialis dependentia, quæ idem est quod ipsa creatura vt à Deo dependens, & relatio prædicamentalis ad illum ordinem siue dependentiam consequens: necesse est alterum horum vel vtrumque simul esse creationem passiuam. Dependentiam autem essentialē non esse creationem passiuam, satis aperte constat ex hoc articulo, & alijs locis in doctrina D. Thom. supra notatis, in quibus affirmat relationem, quæ relinquatur in creatura sub ractio motu, vel mutatione esse creationem passiuam sumptam. Affirmare verò solam hanc relationem, esse creationem, multas secum affert angustias ac difficultates inferius adducendas, quibus non videtur plene posse satisfieri.

Creationem passiuam significat esse essentialē creaturæ à Deo dependentiam, cū relatione reali ad ipsam Deum, vt creatorem.

Vt igitur meam in hac tam ardua controuersia sententiam proferam, dico proportionaliter iudicandum esse de creatione passiuam, sicut & de actiuam: vt quemadmodum de creatione actiuam ablata mutatione, quæ ibi nulla est, nec esse potest, relinquatur in creatore nõ sola relatio ad creaturam, sed actio metaph. sumpta, quæ realiter est eius substantia, formaliter autem est eius velle ac infinite virtutis imperium cum relatione ad creaturam: sic de creatione passiuam ablata mutatione, quæ nulla in ea est, nec esse potest, non remanet sola relatio prædicamentalis ad creatorem, sed essentialis illa dependentia, quæ idem est realiter quod esse creaturæ, & ipsa tota creatura: formaliter autem est creaturam nunc à Deo esse, & prius non fuisse, si sermo sit de creatione cum nouitate essendi: absolute verò est creaturam à Deo esse vel causari. Igitur sicut actiuam creatio est actio Dei infinita cum relatione ad creaturam: ita creatio passiuam significata est essentialis creaturæ à Deo dependentia, cum relatione reali ad ipsum Deum vt creatorem.

De sola tamen relatione meminit S. D. quoniam duæ illæ relationes, sc. prædicamentalis & transcendens in ea fundata computantur vt vna: tum propter naturalem & necessariam connexionem: tum quia respiciunt eundem terminum saltem materialiter: tum quia ex vna intelligitur alia: tum denique quia nomen relationis habent commune.

Cum igitur ait S. D. in textu creationem in creatura non esse nisi relationem quandam ad creatorem vt ad principium sui esse, vtramque complectitur relationem, quoniam vtraque est ad creatorem & ad principium, quamuis diuersa ratione: Nam dependentia, quæ est relatio transcendens, est ad creatorem vt ad principium efficiens, quatenus efficiens est formaliter, & prius ipsa creatura, sed relatio prædicamentalis creaturæ est ad creatorem vt ad principium, quatenus hoc vocabulo principium significatur terminus formaliter relatiuis natura simul existens cum suo correlatiuo.

Vnde etiam, cum S. D. in 3. p. qu. 2. a. 3. & alijs vnionem humanæ naturæ ad Deum affirmat esse relationem, quidam exponunt de relatio-

ne transcendente: vbi etiam obseruat D. Tho. in dictis locis non distinguere inter relationem prædicamentalem & modum vnionis, quem dicunt includere transcendentalem habitudinem ad vnbilia. Singulariter autem de dicto ordine cum relatione consequente videtur intelligenda responsio ad tertium in dicto a. 7.

Consonat autem hæc nostra expositio doctrinæ D. Th in responsionibus ad argumenta præsentis articuli, quæ singulæ ad vtramq; prædictam relationem referri possunt; Nam vtraque relatio realis est, & vtraque hoc ipsum quod est, ad aliud dicitur, quamuis diuersa ratione vt ante diximus, & vtraque prior est vno modo, & alio modo posterior ipsa creatura, vt dicit in resp. ad 3. argumentum: licet vtraque non eodem modo distinguatur à creatura: Nam relatio transcendens ratione tantum ratiocinata, vel ad summum formaliter ex natura rei distinguitur à subiecto: relatio verò prædicamentalis distinguitur realiter non solum à subiecto, sed etiam à fundamento, vt existimo secundum mentem D. Th.

Hunc dicendi modum videtur satis apertè significasse D. Tho. de pot. q. 3. a. 3. in fine corporis dicens nomine creationis non importari aliquem accessum ad esse, nec transmutationem à create, sed solam inceptionem essendi, & relationem ad creatorem à quo esse habet; idem est enim inceptio essendi, quod essentialis illa dependentia cum nouitate. Igitur secundum D. Tho. creatio dicit essentialem dependentiam, quæ est relatio transcendens, & relationem prædicamentalem ad creatorem. Cum itaque doceat ablato motu vel transmutatione ab operatione solam relinqui relationem, nomine relationis vtramque complectitur, & non vnam tantum.

Conclusiones de dicto, & probat.

PRIMA CONCL. Creatio siue sumatur aliquid siue passiuè, non est mutatio nisi secundum modum concipiendi & significandi.

SECUNDA CONCL. Creatio passiuè significata non est passio verè & propriè, sed grammaticè tantum & secundum modum concipiendi & significandi.

TERTIA CONCL. Creatio aliquid significata non est actio Physi. Nomine actionis Physi. sæpè diximus significari omnem actionem, quæ non fit in agente, sed in passio; Hanc enim ideo Physi. cam nuncupamus, quia licet inueniatur etiam in separatis à materia, illis tamen videtur conuenire secundum communem illis imperfectionem ex parte subiecti cum ijs, quæ materia constant; congruit enim vtriusque ratione potentialitatis, quæ perficitur in eis actione ab agente suscepta.

QUARTA CONCL. Creatura duplici relatione refertur ad creatorem, scilicet transcendente & prædicamentali, & hæc posterior in priori fundatur.

QUINTA CONCLVS. Creatio passiuè significata est essentialis dependentia creaturæ à Deo, cum relatione reali ad ipsum Deum vt creatorem.

Argum. & Solu.

CONTRA primam concl. sunt argumenta, quæ proponunt hic & soluunt Bann. Zumel. & alij, præter ea quæ soluit S. D. de pot. q. 3. a. 2.

Obi. conl. 2. concl.

CONTRA secundam conclus. argumentatur Molina. Actio & passio neque sunt relationes reales: ergo actio non est motus cum relatione reali causæ, aut principij efficientis ad effectum, vel motum, aut mutationem; nec passio est motus cum relatione opposita, sed po-

tius eiusmodi relationes consequuntur actionem & passionem tanquam rationem fundandam; ergo actio, quando in productione effectus interuenit motus, est motus ipse: non in ratione motus, sed vt est influxus agentis, seu vt est ab agente; quod est quid absolutum ac formaliter distinctum à motu, & ipsius termino atque à passione: & passio est idem motus: non in ratione motus, sed vt receptio patientis: vniuersimque passio est alicuius esse receptio, aut in subiecto, aut qua effectus aliquis recipit suum esse in seipso: esto producatur extra subiectum, quod similiter est quid absolutum & formaliter distinguitur à termino, motu & actione, & à reliquis rationibus formalibus aliorum prædicamentorum. Antec. prob. Nam alioquin vel actio & passio non pertinerent ad prædicamentum relationis. Vel res vnus prædicamentum in sua ratione formali completeretur intrinsecè per rationem formalem alterius prædicamenti: quo dato, prædicamenta non essent primò diuersa, nec impermixta, immò nec vnum per se. Resp. falsum esse antecedens. Nam prædicamenta distinguuntur secundum diuersos modos concipiendi & prædicandi, nec est necesse distingui realiter: & ideo potest vnum ex alterius ratione compleri. Ad probationem autem negatur consequ. Nam, vt prædicamenta sint primò diuersa, sufficit, vt eorum rationibus formalibus integrè sumptis, nullum vniucum sit commune, & secundum easdem etiam rationes formales dicuntur impermixta formaliter, & quodlibet vnum per se formaliter.

CONTRA tertiam concl. sunt argumenta soluta in præc. controu.

CONTRA vltimam concl. argumentatur Vasq. Si actioni & passioni desit ratio motus, nihil aliud videtur superesse, quam pura & sola relatio: nec alio modo à nobis explicari aut intelligi posse, quam cõceptu solius relationis: vt patet ex D. Thoma supra q. 41. a. 1. ad 2. ergo.

Resp. iam huic argumento fuisse satisfactum dicendo nomine relationis vtramque simul comprehendendi, scilicet transcendentalem & prædicamentalem. Secundò dico dictionem exclusiuam non excludere à concomitantibus, & idèd à relatione non excludi fundamentum per exclusiuam illam, sola. Vide, quæ diximus in præc. controu.

Contra eandem concl. quoad secundam eius partem sunt argumenta Scoti, quæ referunt & soluunt Cap. in dicta q. & Caiet. huj. & alij recentiores.

Videnda sunt, quæ diximus supra q. præc. a. 1. circa resp. ad 1. arg. D. Thom. Hic multa commiscet Vasq. de ratione relationis, quæ ad rem præsentem non pertinent.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum creati, si proprium compositorum, & subsistentium.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quod creati non sit proprium compositorum, & subsistentium. Dicitur enim in libro de causis. * Prima rerum creatarum est esse. Sed esse rei creatæ non est subsistens. Ergo creatio propriè non est subsistentis, & compositorum.

Præterea. Quod creatur, est ex nihilo. Composita autem non sunt ex nihilo, sed ex suis componentibus. Ergo compositorum non conuenit creati.

241. Inf. ar. 8. Et vi. q. 27. 4. 3. ad 9. Et 29. q. 3. a. 5. ad 12. Et 3. ad 2. Et 3. ad 3. Et quod. 8. q. 5. a. 1. Et opus. 37. c. 4. * Propos. 4. in prim. 10. 7.



Præterea, illud proprie producitur per primam emanationem, quod supponitur in secunda. Sicut res naturalis per generationem naturalem, quæ supponitur in operatione artis. Sed illud, quod supponitur in generatione naturali, est materia. Ergo materia est, quæ proprie creatur, & non compositum,

Sed contra est, quod dicitur Gen. 1. In principio creavit Deus calum, & terram. Calum autem, & terra sunt res compositæ subsistentes: ergo horum proprie est creatio.

Art. præc. Respondeo. Dicendum, quod creari est quoddam fieri, ut dictum est: * Fieri autem ordinatur ad esse rei. Unde illis proprie convenit fieri, & creari, quibus convenit esse. e Quod quidem convenit proprie subsistentibus, siue sint simplicia, sicut substantia separata: siue sint composita, sicut substantia materiales. Illi enim proprie convenit esse, quod habet esse, & quod est subsistens in suo esse. Forma autem, & accidentia, & alia huiusmodi, non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est, e vt albedo ea ratione dicitur ens, quia eius subiectum est album. Unde, secundum Philosophum, * Accidentis magis proprie dicitur entis, quam ens. e Sicut igitur accidentia & forma & huiusmodi, quæ non subsistunt, magis sunt coexistentia, quam entia, ita magis debent dici concreata, quam creata. Proprie verò creata sunt subsistentia.

Ad Primum ergo dicendum, quod cum dicitur, prima rerum creaturarum est esse, ly esse, non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem obiecti creationis. Nam ex eo dicitur aliquid creatum, quod est ens, non ex eo, quod est hoc ens, cum creatio sit emanatio totius esse ab ente vniuersali, ut dictum est. * Et est similis modus loquendi: sicut si diceretur, quod primum visibile est color, quamuis illud, quod proprie videtur, sit coloratum.

Ad Secundum dicendum, quod creatio non dicit constitutionem rei compositæ ex principijs præexistentibus: sed compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principijs in esse produci-
tur. e

Ad Tertium dicendum, quod ratio illa non probat, quod sola materia creetur, sed quod materia nõ sit nisi ex creatione. Nam creatio est productio totius esse, & non solum materia.

Sensus questii.

TITVLVM explicat Caietanus.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. Creari proprie solis convenit subsistentibus simplicibus vel compositis. Probatur. Illius proprie convenit fieri, & creari, quibus convenit esse; Sed esse convenit proprie solis subsistentibus, siue sint simplicia sic substantiæ separata, siue sint composita, sicut substantiæ materiales; ergo: Maior probatur. Creari est quoddam fieri; At fieri ordinatur ad esse rei; igitur illis convenit fieri & creari; quibus convenit esse. Minor ob dictionem exclusivam duas habet exponentes: quarum altera est affirmatiua, videlicet subsistentibus. omib. convenit esse: quæ probatur; quia illi proprie convenit esse, quod habet esse & quod est subsistens in suo esse. Altera est negatiua videl. alijs à subsistentibus nõ convenit esse: quæ sic probatur. Formæ & accidentia, & alia huiusmodi nõ dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est; ergo eis nõ convenit esse. Antec. prob. Primò ex eplo albedines, quæ ea ratione dicitur ens, quia ea subiectum est album. Secundo ex Arist. 7. Metaph. tex. 2. dicente accidentis magis proprie dici entis, quam ens.

SECUNDA CONCL. Accidentia & forma &

huiusmodi, quæ non sunt subsistentia, magis dici debent concreata, quam creata. Probatur; quia talia sunt magis coexistentia, quam entia. ergo. Antecedens patet ex probatione dictæ exponentis negatiuæ.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate, & sensu, tam primæ, quam secundæ conclusionis.

MOLINA supra ar. i. dicit nouem. Primum. Angelus propriissime dicitur creari. Sententia Explicata
Secundum. Accidentia Angeli, quæ non consequuntur eius naturam, vt gratia & alia dona supernaturalia diuinitus ei infusa, in eo sensu dici possunt concreata, quia simul sunt cum creatione nature producta: nõ verò quia propria eorum productio sit creatio, aut pars creationis. Tertium. Quæ consequuntur naturam, vt intellectus & voluntas, fortè etiã nõ dicuntur concreari, nisi in sensu explicato: quamuis cũ mediatè consequantur creationem naturam, maior ratio sit, vt concreari dicantur cũ natura. Quartum. Corpora simplicia huius vniuersi, quæ in prima rerum constitutione de nihilo producta sunt, dicuntur proprie à Deo creata: partes verò vt formæ corporum simplicium, quæ tñ compositæ sunt, vt tota materia prima, quæ sub eisdem formis coproducta fuit, dicuntur à Deo concreata. Quintum. Actio creationis, per quã prædicta fuere producta, coaluit tanquã ex partibus. ex partiali productione materiæ, & partiali productione formæ: & ideo sicut tota actio fuit creatio, ita comproductio formæ & materiæ fuit concretio. Sextum. Species rerum, quæ post primam diem productæ sunt, non dicuntur creata in ea acceptione creationis, de qua nunc loquimur, sed dicuntur producta à Deo per generationem supernaturalem ex materia præiacente. Septimum. Productio animæ rationalis est propriissime creatio. Octauum. Quod virtute caloris natui proximè producitur in stomacho ex speciebus sacramentalibus. nõ dicitur creari, sed generari. Nonum. Dona supernaturalia, quæ post creationem Angelorum, aut hominum generationem successu temporis à Deo illis infunduntur, vt gratia, charitas, fides, spes, &c. nõ creantur neque concreantur, sed producuntur à Deo per accidentariam mutationem supernaturalem, educuntur que de potentia obedienciali Angeli, aut animæ rationalis.

Vasquez super hoc articulo dicit octo. Primum. Neque gratia, nec vlla forma accidentaria, aut substantialis, quæ natura sua pendet à subiecto vel à materia, creatur aut concreatur, sed peculiari actione educitur de potentia materiæ: quod verum est, nõ solũ quoties gratia posterius tempore quã subiectum incipit esse, verum etiã quando simul cum illo incipit. Secundum. Gratia & aliæ formæ accidentariæ supernaturales, educuntur de obedienciali potentia animæ aut Angeli; quæ licet nõ possit appellari naturalis, dici tñ potest natia seu innata, quia consequitur ipsam naturalitatem & constitutionem naturalem hominis. Tertium. Inter formas substantiales sola anima rationalis peculiari quadã ratione sibi propria creatur, & de nihilo producitur. Quartum. Creatio est nõ tantum subsistentium actum per se sed etiã eorum quæ suapte natura sine alio subsistere possunt, vt anima rationalis actu informans corpus. Quintum. Nullum compositum, nisi eã rationem compositi quã suis partibus distinguitur, potest creari. Sextum. Aliæ formæ substantiales & accidentariæ præter animam non creantur, nisi

quando separata à subiecto, vel à materia produ-
 cuntur, sed educuntur de potentia materiae.
Septimum. Materia secundum suam entitatem
 naturalem & partialem sola creatione produci
 potest. *Octauum.* Compositis ex materia & forma
 conuenit creatio, non secundum formam (nisi
 sit anima rationalis) sed secundum materiam,
 quae à solo Deo creatur, & conseruatur.

Sanctus Thomas autem in hoc articulo affir-
 mat creati proprium esse compositorum & subsi-
 stentium, quatenus distinguuntur contra for-
 mas & partes minime subsistentes; haec enim ait
 dici debere concreata, cum primò à solo Deo
 producuntur. Et de gratia singulariter pluries
 videtur asseruisse eam concreari, vt significare
 videntur eius dicta inferius adducenda. Quam
 sententiam secuti sunt plures Thomistae, scilicet
 Capr. in 4. dist. 1. q. 3. ad argumenta Scoti. Eandem
 sententiam sequitur Sotus in 4. dist. 1. q. 3. ar. 1. &
 lib. 1. de natura, & gratia c. 9. & Ripa super hoc art.
 Pro eadem sententia allegant Sotus. Vasq. &
 quidam alij Caiet. & Conradum, qui tñ disertis
 verbis oppositum affirmat, vt patebit inferius.

Alij verò censent gratiam non creati, neque
 concreari, sed educi de potentia animae vel An-
 geli obedientiali, vt Medina 1. 2. q. 112. a. 1. Hie-
 rony. de la Rua in sua vltima Scholastica controu.
 in fine, Val. art. seq. Albertin. in suis corrolarijs
 fol. 407. Didac. Nugnus in 3. par. q. 62. art. 1.
 difficultate 7. ad 3. argumentum, & alij plures,
 quos consultò prætereò quoniam non est hic
 locus omninò proprius huius controuersiae.

Resolutio.
 Vna, & ea-
 dem produ-
 ctioe creati
 materiam,
 formam, &
 compositum,
 quando pro-
 ducuntur si-
 mul, id est
 in eadē du-
 ratione, &
 natura in-
 stanti, in
 quo & tunc
 propriè com-
 positum cre-
 atur.

EX PAVCIS benè cognitis & attentè confi-
 deratis principijs poterunt omnes præactæ dif-
 ficultates, non solum faciliè definiri, sed etiam
 quae videntur oppositae doctorum sententiae
 conciliari.

Præmittendum est autem primò, quod hic affir-
 mat D. Th. in prima concl. videlicet creati solis
 propriè conuenire subsistentibus siue simplicia
 sint, siue composita: Quod efficaci probat ar-
 gumeto supra notato: quia nimirum illis prop-
 riè conuenit fieri & creati, quibus conuenit esse,
 haec verò sola sunt subsistentia &c. Ex quo se-
 quitur nullam cuiusuis rei formam accidentalem,
 aut substantialem, naturalem aut supernatura-
 lem, aut modum rei vel formæ præter animam in-
 tellectiuam propriè fieri aut creati: & eadem ra-
 tione neq; materiam, neq; partes rei essentielles
 aut integrales, quia scilicet nulli prædictorum
 conuenit esse per se subsistens.

Secundò considerandū est formas siue sint ordi-
 nis naturalis, siue sint ordinis supernaturalis,
 posse dupliciter à Deo produci. Vno modo si-
 mul cum subiecto siue materia & toto compo-
 sito. Alio modo post subiecti, siue materiae
 productionem. Dico autem simul produci, quando
 vnū est instans durationis & naturae, in quo pro-
 ducitur subiectum & forma: quamuis non sit idē
 instans naturae à quo, quod est instans causalita-
 tis ac dependentiae formae à subiecto siue mate-
 ria, & materiae à forma præsertim substantiali.
 Cum enim exempli gratia præduxit Deus Solē,
 fuit vnū & idem instans durationis & natu-
 rae, in quo creata fuit materia Solis & eius for-
 ma substantialis, & quantitas ac figura, & lux ex
 eo resultans. Cū itaq; sic simul producitur, ne-
 cesse non est, aut expedit hic plures partiales
 productiones distinguere, vt visum est Mol. &
 Vasq. sed existimandum est, prout verè est si-
 mul à Deo produci materiam ac totum compo-
 situm & eius proprietates, vno duntaxat actu
 creationis, tã actiue quã passiuè sumpto, quo to-

taproducitur solis substantia, cū omnibus suis
 perfectionibus ita, vt non nisi per vltimam
 perfectionem, & inuicè se præcedant instanti na-
 turae à quo, & sit inter ea hæc mutua dependen-
 tia, & ordo naturae siue causalitatis etiam in ipso
 creationis instati: non ideo tñ negandū est crea-
 tã siue cõcreatam fuisse formã, ac multò minus
 materiam, aut etiam totum compositum, quo ad
 eam tertiam entitatem, quae consurgit ex par-
 tibus simul vnitis, vt sapienter admonet S. D.
 hic ad secundum dicens creationem non dici con-
 stitutionem rei compositae ex principijs præexisten-
 tibus, sed compositum sic creati, vt simul cum omnibus
 suis principijs in esse producat. Quibus verbis
 planè significat S. D. in actu creationis rei com-
 positae non interuenire plures partiales produ-
 ctiones, quando esset, quando creata vna partia-
 li productione materia, alia productione edu-
 ceretur ex ea forma, & alia constitueretur compo-
 situm ex dictis partibus simul vnitis: ac demũ
 alia seorsum operatione educeretur proprie-
 tates & accidentia: Hæc enim omnia vt vana ac
 puerilia rejicit. S. Th. affirmans creationē non
 esse constitutionē rei compositae ex præexistē-
 tibus principijs; quia licet secundum ordinem
 naturae. i. causalitati intelligantur præexistere,
 non tantum ita præexistunt, vt ex eis actione ali-
 qua distincta ab eorū productione constitua-
 tur à Deo substantia composita: sed vt ait S. D. cõ-
 positum sic dicitur creati, vt simul id est vnica
 productione siue creatione simul cū omnib.
 suis principijs in esse producat. Quod maxi-
 mè consonat formali termino creationis, quod
 est esse, ex cuius vnitate pensanda est etiã vnitas
 creationis: Est autē vnū & idem esse numero
 materiae & formae, ac totius compositi: igitur
 hæc omnia vno producuntur actu creationis. Et
 quamuis accidentia nõ habeant idem esse reali-
 ter cum esse substantiae, quia tamen non alia ra-
 tione sunt entia, nisi quia eis aliquid est, & magis
 sunt coexistētia quã entia: idcirco vt affir-
 mat 2. cõcl. magis debet dici cõcreata. i. vna & cõ-
 creata actione cū subiecto creata, quã absolutè crea-
 ta: siue sint ordinis naturalis siue supernaturalis.

Si verò post subiecti, vel materiae creatio-
 nem forma producatur, si fuerit naturalis cer-
 tum est eam non creati: cum actione, siue magis
 passione noua educatur de potentia subiecti, &
 fiat ex materia præexistente. Quod si fuerit for-
 ma supernaturalis, vt gratia, charitas & similia,
 quadam ratione creatio vel concreatio videtur
 eorum productio, sed alia quadã ratione super-
 naturalis videtur esse mutatio siue generatio,
 & impropiè tantum ac moraliter dicta crea-
 tio. Nam vt ait S. D. de potent. q. 3. a. 8 ad 3. In-
 fusio gratiae accidit ad rationem creationis, inquan-
 tum gratia non habet causam in subiecto, nec efficien-
 tem, nec tãle materiam in qua sit hoc modo in poten-
 tia, vt per agens naturale educi possit in actu: sicut est
 de alijs formis naturalibus. Et subdit ibidem pro
 solutione quarti argumenti. Cū dicitur aliquid fie-
 ri ex nihilo, negatur causa materialis: hoc verò aliquo
 modo ad carentiam materiae pertinet, quod aliqua for-
 ma de naturali materia potètia educi nõ potest. Et in
 respõsione ad quintum ait: Licet in natura nõ in-

*Gratiã, &
 quamlibet
 formam su-
 pernaturalẽ
 post subiecti
 creationem
 suo produ-
 ctum nõ pro-
 priè creati,
 aut concrea-
 ti, sed educi
 de potentia
 obedientia
 subiecti.*

Veriatur principium efficiens respectu formarum artificialium, tamen huiusmodi forma non excedunt naturae ordinem, sicut gratia, immo infra subsistunt; quia omne naturale est nobilius quam artificiale. Significatur etiam gratiae productio nomine creationis metaphoricè, siue moraliter sumpto: ex eo quod homines secundum ipsam creantur, id est in nouo esse constituuntur ex nihilo, id est non ex meritis, secundum illud ad Ephes. 2. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis*: vt ait S. Tho. in 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. His adde D. Th. in 2. dist. 26. a. 2. ad 5. affirmare gratiam in nihilum redire cum corrumpitur. Ex quibus dictis moti videntur Capreol. Ferr. & alij, qui dixere gratiam à Deo creari; eo modo quo formae inherenti conuenit creari, quia scilicet secundum ipsam homines dicuntur creari.

Nota.

Verum opposita sententia longe firmioribus innitur fundamentis. In primis enim nusquam inuenitur simpliciter asseruisse D. Th. gratiam creari aut concreari: sed vbicunque similibus vitur verbis, explicationem semper ac moderamen adiungit, quo vera ac proprie dicta secluditur ratio creationis, aut concreationis, vt patet ex locis supra notatis. Vnde etiam de Verit. q. 27. a. 3. ad 9. sic loquitur: *Creari proprie est rei subsistentis, cuius est proprie esse. Et fieri: forma autem non subsistentes, siue substantiales, siue accidentales non proprie creantur, sed concreantur, sicut nec esse habent per se: sed in alio. Et quamuis non habeant materiam ex qua, qua sit pars eorum, habent tamen materiam in qua, a qua dependent, & per cuius mutationem in esse educitur, vt sic eorum fieri sit proprie eorum subiecti a transmutari.* Hæc ibi. Vbi primò loquitur in communi de formis, quæ simul cum tota re producuntur ex nihilo, dicens eas non proprie creari sed concreari. Deinceps agit de formis, quæ rei iam creatione vel generatione productæ per actionem cuiusvis agentis inducuntur, & ait eas in esse per subiecti mutationem educi; agit autem ibi de causa gratiæ. Affirmat itaq; S. D. formas omnes siue naturales siue supernaturales, quæ fiunt in præexistenti subiecto, ex eius educi potentia. Non continentur autem formæ supernaturales in potentia naturali, vt ex ea per actionem agentis educi valeat, vt ait S. D. in dicta q. 27. de verit. a. 3. in c. & de pot. q. 3. a. 8. ad 3. 4. & 5. educuntur ergo formæ supernaturales ab agente supernaturali, mutatione quadam supernaturali ex potentia obedientiali, vt etiam aduertit & explicat Conradus de mente D. Thom. 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. & colligitur ex eodem S. D. in 1. 2. q. 104. a. 4. ad 3. vbi postquam in corpore statuit, & probauit hanc conclusionem, simpliciter dicendum est, quod nihil omninò in nihilum redigitur, respondens ad hoc argumentum ibidem tertium, *Formæ & accidentia non habent materiam partem sui, sed quandoq; desinunt esse; ergo in nihilum rediguntur*, ait: *Formæ & accidentia non sunt entia completa, cum non subsistant, sed quodlibet eorum est aliquid entis; sic enim ens dicitur, quia eo aliquid est: & tamen eo modo quo sunt, non omnino in nihilum rediguntur, non quia aliqua pars eorum remanet, sed remanet in potentia materie, vel subiecti.* Hic ibi. Oportet autem responsum esse vniuersalem de omnibus formis, tam naturalibus, quam supernaturalibus; alioquin non fatificeret argumento de omnibus formis vniuersaliter procedenti. Cum itaque desinunt esse formæ supernaturales, remanent in potentia subiecti, non naturalii, vt dictum est, igitur obedientiali. Hanc eandem resp. colligit scitè Conradus in dicto loco, conferendo responsum illam ad argumentum.

Cum itaq; ptoducitur à Deo forma supernaturalis in Angelo, vel in anima, considerandum est formam illam non habere causam in subiecto, nec efficientem, nec materialem in qua sit hoc modo in potentia, vt per agens naturale educi possit in actum, vt ait S. D. in dicta q. 3. de pot. a. 8. ad 3. Et secundum hanc rationem infusio gratiæ (inquit) accedit ad rationem creationis: cum enim dicitur aliquid ex nihilo fieri, negatur causa materialis: ad carentiam verò materiæ pertinet aliquo modo, vt ibidem asserit D. Thomas, quod aliqua forma de naturali potentia materiæ educi non possit. In quibus verbis duo sunt maximè ponderanda. Primum est, non affirmari simpliciter gratiæ creationem, sed solum accessum, id est similitudinè ad rationem creationis: quam similitudinem apertius exprimit S. D. in 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. vt ante diximus; ait enim gratiam dici creari ex eo, quod homines secundum ipsam creantur, id est, in nouo esse constituuntur ex nihilo, id est non ex meritis. Quem locum obseruat Cai. in dicto a. & q. 112. a. 1. aduertens non esse dicendum gratiam creari cum infunditur, aut annihilari cum perditur, sed tantum ipsum hominem creari in tali esse: & dici gratiam creari, quia non educitur de potètia subiecti (sc. naturali) nec datur ex meritis. Sed cum proprie fiat homo gratus ex aliquo, scilicet ex homine non grato, non dicitur proprie gratia creari. Est igitur Metaphorica locutio cum dicitur *creati in Christo in operibus bonis*, ad Ephes. 2. quia nimirum, sicut creari proprie dicitur id, quod ex nullo efficitur præexistente subiecto, nec alicuius agentis virtute naturali: sic creari dicitur homines in operibus bonis, cum à Deo iustificantur per gratiam; quia nulla præcedunt in eis metita, nec virtus aliqua naturalis gratiæ productiua. Hunc creationis modum recentiores moralem appellat, eo quod homo ex nihilo bonorum operum, ac meritorum supernaturali Dei virtute fiat confors diuinæ naturæ, & particeps esse diuini.

Secundo ponderandum est, quod ait S. Thom. idèò gratiæ infusionem accedere ad rationem creationis, quia creari est ex nihilo fieri. Cum autem dicitur aliquid ex nihilo fieri, negatur causa materialis: ad carentiam verò materiæ pertinet, quod aliqua forma de naturali potentia materiæ educi non possit; his enim verbis non excluditur materia siue potentia simpliciter, id est, in vniuersum, ex qua possit educi gratia diuina virtute, sed solum potentia naturalis. At verò creatio & concreatio proprie dicta nullam omnino materiam aut potentiam, siue naturalem siue obedientialem præexistentem admittit. Non affirmat ergo S. D. gratiam aut quilibet formam supernaturalem à Deo verè & proprie creari aut concreari, sed effici cum accessu & similitudine ad creationem proprie dictam, siue moraliter tantum creari.

Tertio Considerandum est in qualibet educatione formæ de potentia naturali subiecti tria formaliter distincta à nobis intelligi. Primum est dependètia ipsius formæ à subiecto: quæ recentiores quidam appellant concursum sustèntium. Secundum est vnio formæ educæ cum ipsò subiecto, ex quo educitur: quæ quidem vnio fundamètaliter sumpta, ex parte ipsius formæ, est effectus formalis ipsius; nihil enim aliud est quàm esse id, quo formaliter subiectum est actuale. Vel dicas esse ipsam formam, prout actus dat esse materiæ vel subiecto: ex parte verò materiæ,

Gratiam enim vnionè cū subiecto, & totum cū possum, sc. hominè gratum à sola dependere causâ supernaturali, & gratiam non concreari, sed educi de potentia obedientiali.

teriaz, est materiam esse actu per formam. *Tertium*, totum compositum ex vnione prædicta resultans, puta album vel quantum.

Primum igitur, quod est dependentia à subiecto, non conuenit gratiæ; quia non educitur de potentia Angeli vel animæ naturalis; cum in eius virtute siue facultate naturali contineri non possit; est enim gratia diuini ac supernaturalis ordinis: anima verò rationalis & Angelus ad ordinem pertinent naturalem. Quemadmodum igitur gratia virtute diuina supernaturaliter operante educitur ex obedientiali potentia animæ rationalis aut Angeli: sic eadem virtute supernaturali sustentatur ab eodem subiecto sc. anima vel Angelo, & in eo conseruatur.

Secundum autem quod est vnio ex parte formæ. sc. gratiæ, à sola dependet causa supernaturali, sicut & ipsa gratia; ab eodem enim principio pendet forma & eius effectus formalis, qui est ipsa forma vt dans esse subiecto. Ex parte verò subiecti sumpta hæc vnio propriè & simpliciter ab eo non pendet; tum quia ex eius naturali potentia non educitur; tum quia nullius agentis naturalis operatione potest anima vel Angelus eas habere dispositiones, quæ ad vnionem eius cum gratia sunt necessaria; vt dicitur in 1.2. q. 112. a. 3. Sed quia dispositio ad gratiam est operatio vitalis animæ & Angeli, quamuis ab agente supernaturali proueniens: ideo S. Th. 1.2. q. 113. a. 10. dixit iustificationem impij non esse miraculosam, quia naturaliter anima est capax gratiæ, eo ipso quod facta est ad imaginem Dei. Vbi notat Cai. potentiam animæ ad gratiam esse quodammodo naturalem, & quodammodo supernaturalem: Nam ea ratione, qua dispositio ad gratiam superat naturalem animæ facultatē, qua seipsam ad gratiam non potest mouere, nisi ab agente supernaturali præmotā, dicitur esse potentia supernaturalis: qua ratione verò ex ipsius animæ, aut Angeli potentia educitur dispositio, quæ est ipsius animæ vitalis operatio, non nihil sapit de potentia naturali ea potentia, quam habet Angelus aut anima rationalis ad gratiam. Legendus est Cai. in d. a. & infra q. 118. a. 2. in resp. ad 4. D. Th.

Tertium autem, scilicet totum compositum resultans ex animæ vnione cum gratia scilicet anima, vel homo gratus dependet sicut secundum ex causa supernaturali. Si namque compositum ex vnione resultat, quæ causam habet supernaturalem: necesse est & ipsum compositum ex eadē posse deriuari. Falsa est igitur eorum sententia, qui dicunt animæ vel Angeli potentiam nulla indigere supernaturali eleuatione, vt gratiam valeat sustentare, eò quod gratia seipsa formaliter informet animam, aut Angelum: Quam opinionem Albertinus ascribit Vasq. Iam enim diximus formam educibilem de potentia subiecti obedientiali, eadem in eo virtute supernaturali sustentari & conseruari, qua educitur.

Postremò tribus argumentis satis validis confirmanda est sententia nostra. *Primum* est. Sicut illud dicitur congenerari, quod simul producitur cum eo, quod propriè generatur: ita dicitur illud concreari, quod ex nihilo producitur simul cum alio, quod propriè creatur: At quæ gratia producitur in anima, nihil est quod propriè dicatur creari; ergo productio gratiæ non est concreatio. Maior patet. Minor prob. quia neque anima, neque homo gratus propriè creatur; supponitur. n. anima & homo; igitur cū sit homo gratus nō sit ex nihilo. *Secundū* arg. est.

Gratiam nō concreari probatur tripliciter.

A Sacramenta sunt causæ gratiæ, nō solū morales, sed etiā Physicæ instrumentales; At nulla creatura potest instrumentalis esse causa creationis; ergo gratia non producitur per creationē. *Resp. Cap. & Ferr.* sacramenta esse causas gratiæ instrumentales, non quia gratiā creēt, sed quia dispositiōem aliquā ad gratiā causant, hæc verò dispositiōem dicunt esse characterē. *Sed hæc resp.* sic impugnatur etiā ab ipso Ferr. Character non magis educitur de potētia animæ, quā gratia; ergo nō magis attribuenda est creatio gratiæ, quā characteri. *Resp.* dici posse gratiā esse supra totū ordinē naturæ, vt pote quæ Deo hominē formaliter coniungit; characterē autē non esse supra totū ordinē naturæ; immo esse infra naturalia sui generis; qm̄ in genere dispositionum ad gratiā est actus liberi arbitrij, qui nobilior est ipso characterē, & ideo posse characterē instrumentaliter à creatura produci, non aut gratiam. Et præter ea characterem non produci ex nihilo, quia producitur in aliquo, quod est in potentia naturali ad aliquid sui generis: Et hoc (inquit) sufficit, vt dicatur aliqua forma accidentalis produci per aliquam simplicem mutationē & non per creationem. *Sed hæc friuola sunt.* Nam character, cū sit spiritualis potest ad actus supernaturalis ordinis, superat necessariò totam naturæ facultatem: nec actus liberi arbitrij, quatenus est vltima, & proxima diffinitio ad gratiam, est ordinis naturalis, vt affirmat incautē Ferrar. nec ad eū talem habet anima potentiam naturalem: sicut ergo character qui forma est ordinis supernaturalis, nō creatur aut cōcreatur, sed educitur ex obedientiali potentia animæ, sic & gratia quæ forma est supernaturalis inhærens animæ, sicut character. Quæuis. n. nobilior sit gratia characterē, ad vnū tñ ordinē ambo pertinet, sc. supernaturalem, & eundē habent essendi modū, sc. accidentale in subiecto; ac proinde eiusdē ordinis causā, & eundē postulant modū producendi, videl. per supernaturale subiecti trāsmutationē & educationē vtriusq; ex eius obedientiali potētia.

B *Tertiu* arg. ad idem confirmandū est. Quia gratia cū definit esse, non annihilatur; igitur cū infunditur nō creatur. *Resp. Ferr.* neg. ant. quia D. Th. in 2. s. d. 26. a. 2. ad 5. ait, quod cū gratia corrūpitur, simul etiā in nihilū redit. *Sed iam ostendimus supra nihil vnquā à Deo annihilari.* Cū ergo affirmat S. D. gratiam in nihilū redire, significat nec ipsam, nec aliquam eius partē, neq; potētiam aliquam ad eā naturalem remanere: Non igitur intendit eam propriè simpliciter annihilari, sed impropriè tñ, & secundum quid, sicut etiam impropriè dicitur creari. Quam interpretationem tangit ex parte Conr. 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. & Ferr. quam tamen non impugnat.

C *PRIMA CONCL.* Forma qualibet, siue substantialis siue accidentalis, quæ producitur vna cū re subsistente ex nihilo producta, licet non dicatur propriè creari, dicitur tamen propriè concreari. Hæc est conclusio S. D. in textu.

SECUNDA CONCL. Materia & qualibet pars integralis actū totum constituens, & simul cum eo producta non dicitur propriè creari, sed concreari. Prob. ex l. concl. D. Th. quia se creari conuenit propriè subsistentibus, materiæ verò & partibus nō conuenit per se subsistere; implicat enim esse partem, & per se separatim existere.

TERTIA CONCL. Compositum secundum illam rationem compositi, qua à suis partibus distinguitur, verè & propriè creatur. Hæc est prima conclusio D. Th. Quod si sermo sit de composito ratione cōpositionis præcisè, dicitur propriè concreari.

QVART

Responso cap. & Ferr.

Consequatio.

Responso.

Consequatio.

Resp. Ferr.

Conf.

Conclusio.

Probatur.

QUARTA CONCL. Formae naturales, quae modo supernaturali à Deo producuntur in subiecto, siue materia praexistente, non possunt verè ac proprie dici creatae aut concreate. Probat, quia tales formae educuntur de potentia subiecti.

QUINTA CONCL. Formae supernaturales, vt gratia, charitas, fides, character, & aliae similes, quae praexistente subiecto producuntur à Deo, non verè & proprie creantur, aut concreate, sed earum productio similitudine quadam, ac diminit a participatione ad rationem creationis accedit. Hæc conclusio patet ex dictis Angelici nostri Doctoris superius explicatis. Et per hanc videntur posse conciliari non solum diuersa dicta D. Tho. sed etiam aliorum Doctorum sententia, quæ videntur opposita.

SEXTA CONCL. Formae predictae supernaturales educuntur ex subiecti potentia obedientiali. Hæc sequitur ex predicta, & colligitur ex doctrina D. Th. vt supra notauimus.

obi. cont. 1. concl.

CONTRA primam concl. argumentatur Vasquez. Creatio est productio entis vt ens est, hoc est totius esse rei, non talis aut talis esse; igitur cū sit aliqua forma in subiecto, non producit ens sed tale ens; ergo cum talis forma producit, non creatur, neque concreate, sed generatur cum toto, quod componit, vel cōmunit alia ratione producit; ergo formae substantiales omnes præter animam rationalem & omnes accidentariae etiam supernaturales non creantur aut concreate, sed generantur cum toto &c. Ant. est manifesta diffinitio creationis tradita à S. Th. a. 1. huius q. & prob. quoniam hæc de causa resurrectionis, quæ est in coniunctione animæ & corporis, etiam si à solo Deo fieri possit, non est creatio, quia coniunctione illa non fit ens secundum totum esse entis, sed quod aliud erat ens fit tale ens, scilicet homo. Vnde resurrectio non fit ex non ente, sed ex non homine. Prima consequ. probatur; quia cum sit aliqua forma in subiecto, aut in materia, quæ sc. forma natura sua pendet à subiecto vel à materia, possulat à materia vel subiecto vt à causa sustentari, quia esse illius formæ naturæ est inesse, aut informare aliud, non autem per se esse; ergo tunc non producit ens sed tale ens. Secunda consequ. est euidentis: tertia prob. quia omnes dictæ formæ suapte natura postulant inesse subiecto: quia suapte natura ab eo pendent, ex quo, & in quo constituunt tale esse: tale aut esse non fit ex non ente sed ex non ente tali, quod est aliquid.

solu.

Resp. nullam esse primam consequentiam loquendo de formis, quæ simul cum re creata producuntur. Ad prob. negatur sequela; Nam vt inquit S. D. hic ad 2. creatio non dicit constitutionem ex principijs præexistentibus, sed compositum sic dicitur creari, vt simul cum suis principijs in esse producat; non enim distinctis ac partialibus productionibus singulæ partes producuntur à Deo, vt opinatur Vasq. sed vna dumtaxat est, perfecta productio totius & partium. Nec mutus partium essentialium dependentia causalitatis obstat, quo minus concreate proprie dici possint; quoniam hæc dependentia non est secundum ordinem instantis naturæ in quo, ita vt vna præsupponat aliam, quasi prius in aliquo instanti naturæ à Deo productam, sed est secundum ordinem instantis naturæ à quo, id est solius causalitatis: atque idem sicut totum, ita & partes cum suis naturalibus causalitatibus dicuntur ex non ente simpliciter à

A Deo productæ; alioquin si prædictæ causalitates concreationi partium repugnarent, eadè ratione & multò magis repugnarent creationi totius compositi, cuius esse duplici causalitate dependet à partibus, scilicet causalitate formali à forma, & materiali à materia.

CONTRA secundam concl. argumentatur obi. cont. 2. Vasq. Primò. Materia quamuis naturaliter sine aliqua forma nunquam existat, à nulla tamè forma pendet secundum suam entitatem naturalem & partialem quam habet; ergo non potest alio modo produci quàm creatione. Probat ant. primò; quia impossibile est materiam à forma pendere, & mutata forma substantiali ipsam non mutari; ergo. Antec. hoc probat, quia diuersa forma diuersum effectum formalem efficit. Secundo probatur primum anteced. quia sequeretur, quod omnè agens naturale introducens formam attingeret etiam conseruationem aut productionem substantialem ipsius materiae. Probat. hæc sequela: quoniam id, quod aliquam formam producit, non tantum facit illam esse, sed etiam id quod per illam est; Nam eadem causa producit formam & effectum formalem illius; tam primarium quàm secundarium.

Tertio. Si Deus conseruat materiam media forma tanquam principio & materia, ex illa est, non creabitur à Deo, quotiescunque coniuncta alicui formæ producit: & ita nullum compositum præter hominem dicitur creari, nec secundum rationem compositi, nec secundum formam, vt supra probatum est: nec secundum materiam, quia ex forma fieret; ergo nullo modo crearetur. Suppono autem (inquit) materiam habere aliquam existentiam, quam vocant entitativam, nec esse puram potentiam in genere entis.

Resp. duplicem entitatem conuenire materiae: alteram essentia, quæ est ratio puræ potentia in genere entis: alteram actualis existentia in rerum natura. Ant. verum est de prima, falsum autem de secunda entitate: Et admissa veritate antecedentis de priori entitate neg. consequ. Ad primam autem probat. anteced. iuxta posteriorem sensum negatur assumptum, loquendo de mutatione essentiali, aut etiam de mutatione quoad existentiam simpliciter, i. absolute: quauis necesse sit eam mutari de vna existentia in aliam; quia diuersarum formarum sibi succedentium in eadem materia diuersæ sunt existentia. Nec tamè ex hoc dicitur corrumper materia; quia semper eadem numero est habens esse existentia substantiale ab aliqua forma. Contingit autem hic facile decipi non consideranti naturam materiae esse longè diuersam à natura compositi & cæterorum entium, quibus vnum tantum esse substantiale potest conuenire, quo amissò desinunt esse simpliciter, quod materia minime congruit: quæ, cum sit pura potentia, commune est omnium formarum subiectum, & vna numero perseverans, diuersas recipit existentias ex diuersis formis illam actuantibus emanantes: ita tamen vt nullo durationis vel naturæ momento non exillat. Quomodo verò materia fit vna, satis diximus supra q. 3. a. 2. controu. unica, in prob. 3. concl. Ad secundam probationem negatur sequ. Ad eius probat. dico illud assumptum: Agens quod aliquam formam producit, non tantum facit illam esse, sed etiam id quod per illam est, verum esse sed diuersa ratione. Nam per formam substantialem compositum habet esse substantiale simpliciter, id est absolute, & omnibus modis quibus potest habere, & per eius priuationem habet non esse simpliciter, id est abso-

solu. Materia quomodo dependeat à forma.

late

lutè & omnibus modis quibus potest habere esse substantiale actuale : & per formam accidentalem subiectum habet esse secundum quid, & ea remota habet non esse secundum quid : & ipsi formæ conuenit esse per se primò vt quo, & eo remoto definit ipsa forma simpliciter, id est absolute & omnibus modis quibus esse potest : Materia verò per formam substantialem hanc numero, vel specie non habet esse simpliciter, id est omnibus modis quibus substantialem esse potest . Nam sicut vna abiecta forma recipit aliam, sic esse substantialem existentia quod ab vna conferebatur amisso, recipit aliam ab alia substantialem succedente forma collatum . Illud autem solum agens attingit conseruationem aut productionem substantialem ipsius materiae, quod primam in ea formam immediatè producit, & omnes alias saltem mediatè, ac proinde causat esse materiae simpliciter, id est, absolute & omnibus modis, hic verò est solus Deus ; nam cætera agentia, vel vnam tantum vt agens vniuocum, vel plures, sed non omnes in materia producant ; primam enim producere non possunt.

Ad vit. prob. negatur conseq. & ratio adducta est supra in resp. ad arg. contr. primam concl. non enim sequitur materiam fieri ex forma, tâquam ex re præexistente, licet fiat ab ea dependens modo dicto: de composito verò dicemus inferius. Denique suppositum de existentia materiae falsum est secundum veram & peripateticam philosophiam, vt ostendemus infra qu. 66. a. 1. & 2.

Obj. 1. cont. 3 concl.

CONTRA tertiam concl. argumentatur idem expositior. Omne esse quod ex aliquo est & constituitur, dicitur etiam fieri ex aliquo; omne autem quod fit ex aliquo, vel tanquam ex subiecto, vel tanquam principio constituyente, quod solum natura prius est, non dicitur creari; ergo nec compositio, nec compositum quatenus compositum est, creari dicitur, sed ex aliquo produci. Min. prob. quia creatio est ex nihilo: nihil autem excludit omne subiectum, vel etiam principium constituens, quod saltem natura prius sit.

Respond. maiorem esse veram de eo quod est, & constituitur ex aliquo præexistente saltem instanti naturæ in quo, non autem si fiat ex aliquo vt priore secundum solam causalitatem, qui est ordo instantis naturæ à quo. Et in eodem sensu vera est minor & eius probatio. In posteriori verò sensu falsæ sunt omnes assumptæ propositiones, vt supra satis ostendimus. Et quoniam huius viri sententia satis apertè destruit creationem, non videtur in fide tuta.

Obj. 1. contr. 5. concl.

CONTRA quintam concl. arg. Ferrar. Primò. Creari est ex nihilo aliquid fieri: sed gratia ex nihilo fit; ergo creatur eo modo, quo formæ inherenti conuenit creari; quia scilicet secundum ipsam aliquid creatur? Secundum quem modum inquit S. Thom. 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. gratiam creari, quia secundum ipsam homines dicuntur creari, id est in nouo esse constitui. Resp. falsam esse minorem propositionem, educitur enim gratia ex potentia obedientiali subiecti, & ita fit ex aliquo.

Solut.

Replica.

Sed contra resp. hanc militat aliud eiusdem expositioris argumentum, ex autoritate D. Th. de pot. q. 3. a. 8. in resp. ad argumenta: & pr. sent. d. 14. q. 3. vbi dicitur gratiam non educi de potentia materiae Resp. D. Th. ibi loqui de potentia naturali, vt patet ex supra dictis.

Solut.

Obj. 2.

Contra eandem concl. argumentatur Ripa. S.

A Tho. contrarium hic palam indicat, dum dicit accidentia & formas, & huiusmodi alia quæ non subsistunt, dici concreata, & de gratia singularitè q. de pot. 3. a. 8. ad 3. & 4. & Caiet. in 1. 2. q. 110. a. 2. & q. 112. a. 1. Resp. D. Th. hic loqui de formis & accidentibus que simul cum re creata producuntur à Deo. Alia verò loca satis fuerunt superius explicata; nec vsquam Caiet. asseruit gratiam concreari, sed negat solum eam creari: & in 3. p. loc. super. alleg. negat absolutè eam creari, ob eam causam; quia cum definit esse non annihilatur, qua ratione probatur etiam eam non concreari.

Solut.

B CONTRA sextam concl. argumentatur quidam. Nunquam inuenitur in Scripturis vel Concilij vel Patribus vel Philosophis, quod illud dicatur infundi, quod educitur ex aliquo subiecto: immò esset locutio omnino contraria rei, quæ fit. At in Scripturis, Concilij & Patribus dicitur gratia & charitas infundi, ergo. Minor probatur; quoniam ad Ephes. 5. dicitur: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris; & Concilium Viennen. in Clem. de sum. Trim. & Fid. Cath. in fine sic definit; In baptismo culpa remittitur. virtutes ac informans gratia infunditur. Concilium etiam Tridentinum sess. 6. de iustific. cap. 7. sic loquitur: In ipsa iustificatione simul cum peccatorum remissione, hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, charitatem. Et Concilium Later. sub Leone X. ad explicandam animæ rationalis immortalitatem docet eam infundi. Præterea. Ideo quia Angelorum species in intellectu Angelorum à Deo creantur, dicuntur infusa.

Obj. cont. 6. concl.

Denique Concilia & Patres eodem modo infundi dicunt gratiam, quo etiam fidem. At fides non potest educi de potentia obedientiali subiecti; ergo nec gratia. Minorem probant; quia fides subiectatur in intellectu qui non est substantia, sed potentia ex qua non apparet quomodo fides educi possit. Resp. falsam esse maiorem. Nam quæ sunt ordinis supernaturalis, ea solum ratione dicuntur infundi, quia non continentur in potentia subiecti naturali, vt ea possit virtute naturalis agentis educi, sed à solo Deo vt agente supernaturali sic fiunt, vt nullam conferente vim passo educantur ex eius potentia obedientiali, atque idè dicuntur infundi, id est superna Dei virtute in Angelis & animabus illi sub cælis sic operante, quasi ex alto demissa produci. Species autem Angelorum alia ratione dicuntur infusa; quia nimirum, non sicut nostræ sunt acquisitæ, sed eorum substantia & intellectui concreatæ. Et simili ratione species animæ separatæ dicuntur infusa; quia scilicet eas non acquirit in statu separationis, sed ex eius natura in tali statu naturali consecutione resultant virtute illius actionis, qua Deus produxit animæ substantiam. Vltima ratio nullius est omnino valoris: Falsum est enim ex obedientiali potentia intellectus non posse à Deo fidem educi; potest enim Deus quodlibet ens ex obedientiali cuiuslibet entis potentia producere.

Solut.

Species Angelorum ut infusa dicuntur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Verum solius Dei sit creare.

AD Quintum sic proceditur. Videtur, quod non solius Dei sit creare. Quia secundum Philosophum. Perfectum est, quod potest sibi simile facere. Sed creatura immateriales sunt perfectiores crea-

242
2. di 1 q. 4.
a. 3. & 4.
di. 5. q. 1. a.
2. con. 5.
21. 85. q.
96. & 113.
2. 68. & 10.
2174